SPECIMEN HISTORICO-POLITICUM INAUGURALE DE ORIGINE...

George Willem VREEDE



SPECIMEN HISTORICO-POLITICUM INAUGURALE

DE

ORIGINE ATQUE INCREMENTIS LIBERTATIS ANGLORUM.

SPECIMEN HISTORICO-POLITICUM INAUGURALE

DE

ORIGINE ATQUE INCREMENTIS LIBERTATIS ANGLORUM.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

WESSELII ALBERTI VAN HENGEL,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORDIN.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS GUILIELMUS VREEDE,

TILBURGENSIS.

DIE XXV MARTII MDCCCXXXI, HORA I.

LUGDUNI BATAVORUM
APUD D. DU MORTIER ET FILIUM.
MDCCCXXXI.

AVO MEO OCTOGENARIO

Petro Vreede,

ET

VIRO ERUDITISSIMO,

Francisco Antonio Bosse,

PRAECEPTORI EGREGIO,

SACRUM.

Mad. de Staël, Considérat. sur les principaux évènem. de la Révolut. française: » *C'est un beau spectacle que cette Constitution, vacillante encore en sortant du port, comme un vaisseau qu'on lance à la mer, et déployant enfin ses voiles, en donnant l'essor à tout ce qu'il y a de grand et de généreux dans l'âme humaine.*"

SPECIMEN HISTORICO-POLITICUM INAUGURALE

DE

ORIGINE ATQUE INCREMENTIS LIBERTATIS ANGLORUM.



Nulla res in universa historia occurrit gravior, neque dignior quae humanis oculis, humanae investigationi subjiciatur, quam generosum illud certamen populorum, qui post longum tempus vel unius, vel pauciorum vel multitudinis tyrannidem sustulerunt, juraque aequalia omnibus constituere conati sunt, sine quibus nulla libertas existere potest. Digni sunt illi Populi qui summis laudibus extollantur, digni quos venerentur homines, nobilissimis virtutibus perspicui. Grave namque est tale certamen, magnis difficultatibus urgetur, nec fere cogitari potest *ἰσονομία* nisi diruta saepius terra, deletis domibus, caesis multis hominum millibus. Saepe quoque ejus est infelix exitus, sive minus prudenter certamen inceptum fuerit, sive

diversis, in variis locis, rebus ac temporibus illi obstantibus quae ingenium, acerrimum licet, nullum praevidere potuisset. Quapropter magis etiam suspiciemus illos viros, qui odio injustitiae, iniquitatis, superbiae moti et patriam oppressam Ingentes, nulla pericula timuerunt, rebusque privatis neglectis, se ipsi omnibus malis, vel morti, exposuerunt ut cives suos in libertatem vindicarent. Quo major autem est numerus eorum hominum, quibus carior fuerit causa patriae quam privatae fortunae, eo magis insitus erit toti genti, cunctorum animis libertatis sensus, quippe cujus vel recuperandae vel adipiscendae causa, omnes calamitates perpessi sint. Lapsu denique temporum, rerum gestarum memoria eam nationem reddet, ferocioris fortasse spiritus, at merito simul jurium suorum consciam. Ita, quae caussa fuerat ut repellerent oppressionem jugoque colla subducerent, eadem in posterum caussa erit, ut statum praesentem tueantur, neque iterum ad interitum ruant. Leges sedulo observabunt, quae nimirum unicuique, quod justum et aequum est, tribuant, quae latae sint expresso, aut tacito, sed unanimi civium consensu. Ibi jus legis vere aequale est in omnes, (1) qui sunt cives in eadem Republica; ibi nulla pri-

(1) Cicero, de Republ. I, 32. de Legg. III, 19, de Offic. I, 25.

vilegia irrogantur, quibus quid est injustius? ibi non iisdem de caussis plectuntur alii, alii ne appellantur quidem. Ibi summo Imperanti debitus honor habetur, quippe qui omnia ad civitates propositum refert aut referre intelligitur, vocemque Populi non contemnit; saluti publicae, non suae, prospicit, aut legitimo modo prospicere cogitur. Coluntur legum ministri, Magistratus, legum interpretes, judices; idcirco omnes servi sunt legum ut liberi esse possint (1).

Neque quis credat me de Utopia quadam loqui velle, qualis THOMAE MORO, ARRINGTONO, generoso ALGERNON SIDNEY, aliis, arridebat; non de rebus constituendis loquor, verum de civitate constituta ad normam quae omnium excitat admirationem, omninm movet desiderium. Exstat illa, non inventa a scriptore quodam, viro perspicaciori, non *reperta in silvis*, (2) qualem eam dicebat

(1) CICERO, pro Cluentio, c. 53. » Where there is no law, there is no freedom." LOCKE, on Government, p. 2 § 57. BLACKSTONE, Comment. I p. 141 (BELL's Edit.) BYRON, Childe-Harold, C. II, St. 19.

(2) » Ce beau systéme a été trouvé dans les bois." MONTESQ. Esprit des Lois, L. XI, Ch. 6. — Veriora locutus videtur CHÂTEAUBRIAND: » Chez les modernes le systéme représentatif est au nombre de ces trois ou quatre grandes découvertes qui

MONTESQUIEU; constantia formata est, sanguine parta victoria, ingenti pretio, inaestimabili. Scilicet, propri norma non fuit, non ratio antea descripta, ad quam constitueretur disciplina gentis politica; Anglorium fortitudo, prudentia, perseverantia, fortuna sensim paullatimque, remotis impedimentis, aedificium tam solidum struxerunt, ut secundum regulas severissimas strictissimasque conditum videatur. Amor libertatis effecit ut eam ipsam certis limitibus circumscriptam vellent, ut adeo ordinem quendam servarent (Parium Regni), qui dignitate prae reliquis emineat, cui proprius suus honos constet, excellens auctoritas committatur. Cuique autem fines sunt positi quibus se contineat, nec impune quis eos transeat, cum mutua singularum in Republica potestatum observatio eas invicem a jurium violatione cohibeat, iisque terminos adsignet, quibus statutis, confusio vitatur.

Vocatur saluberrimum illud regimen *Repraesentativum*, a *repraesentando* dictum. Cives enim a delegatis suis in publicis comitiis repraesentantur, qui civium mentum manifestent quaecumque agant, non pro communitatis parte, sed pro civibus omnibus agant, horum necessitatibus subveniant, vota explere conen-

ont créé un autre univers." VILLEMAIN, Note II sur l'Eloge de MONTESQUIEU.

tur. Cum Rege legislatoriam exerent potestatem; Regi ad onera publica ferenda, tributa necessaria concedunt, inutilia denegant; ne vero Regi aut nimium obstent, aut humilius pareant, est tertius in medio ordo insignis Optimatum, qui audaciorem Regem ad officium redigat, aut elatos delegatorum Populi animos moderetur.

In mente est, hujus regiminis originem indagare, cujus veri sunt auctores Angli. Quamquam enim, iisdem circiter temporibus quibus in Anglia primum plebeji ad Parlamenta convenerunt, in Gallia quoque, in Scotia, Hispania cet., et iis in generalibus Placitis locus concessus sit, apud nullam tamen gentem hoc ita *continuo* et *regulariter*, (1) atque in Anglia obtinuit; aut jura sua parum caute tuiti sunt, aut pro lubidine immodice extendere voluerunt (2).

(1) MARLY, Observ. sur l'Hist. de France, L. V Ch. 3, antiquis Populi Franco-Gallici delegatis exprobrat, » de n'avoir pas songé à se rendre un ressort ordinaire et nécessaire du Gouvernement par des convocations regulières et periodiques."

(2) HALLAM, l'Eur. au Moyen Age, I. 305, HENRION DE PANSEY, de l'Autorité Judiciaire, Introd. Ch. IX, Le Globe, T. VII, N°. 8, FROISSARD, Ch. 372, T. III, p. 255, Anno 1357. » Les Etats nommèrent 36 personnes, lesquelles devaient être moult souvent à Paris ensemble, et là parler et ordonner des besognes du royaume. Et toutes

Quod ut evenit, statim corruit aedificium. Majorem igitur laudem Anglis tribuamus, quibus rectum stetit judicium, qui, quae usus comprobasset, retinentes omnia quaeque bona assecuti sunt, quod ea non simul omnia desideraverunt. Jure mihi videor affirmare, nullum in orbe terrarum inveniri spectaculum, in quo generis humani merita magis eluceant, quam quod in libertatis Anglorum Historia contemplemur.

manières des choses se devaient déporter par ces trois états, *et devaient obeir tous autres prélats, tous autres seigneurs, toutes communautés des cités et des bonnes villes à tout ce que ces trois états feraient et ordonneraient.*"

MAGNA CHARTA LIBERTATUM ANGLIAE.

Magnificum nomen est quod hic legitur, quo libertatis Anglorum fundamentum continetur, a quo reliquae eorem fluxerunt immunitates, Britanniae gloria. Primaria hujus chartae merita singula exponere tentabo ac pauca de iis disserere; deinde, quibusnam juribus originem postea dederint, et quae eorum vis fuerit in universam Historiam Anglorum, in societatem illorum civilem, si aliquando hujus consilii opportunitas feliciori tempestate probetur, videndum erit. In illa charta autem non Nobilium tantum, non unius Cleri jura agnita sunt; in medio aevo, *in extrema Europae tum cognitae* (1) parte, jura etiam plebis vindicata fuere, vel ipsarum infimarum, sed utilissimarum, classium civitatis, jura dico humanitatis. Quibus temporibus in Gallia ac Germania saevae tyrannidi parebant omnes, quotquot nulla vel in rebus civilibus, vel in

(1) Horatius: » Penitus toto divisos orbe Britannos."

rebus sacris dignitate florerent, iisdem fraena impatienter momorderunt primum Angli, oppressionis jugo deinceps fortiter sese eripuerunt, liberi facti sunt. Quod vero non ita statim poterat effici; multa mala passi sunt, eaque tam gravia, ut mirandum potius sit, eos non abhinc longo tempore ante sese in libertatem restituisse. At multa obstabant, quae generosos quoslibet conatus impedirent. Quaenam itaque illa impedimenta fuerint, et quae res ac tempora illa tamen de medio sustulerint, quae nulla virtus humana tollere prius potuisset, indagemus. Ita, quae fortunae ac pristinae Anglorum disciplinae politicae adscribenda sint, quae eorum fortitudini et constantiae, apparebit.

In explananda historia aetatis, quae Normannorum in Britanniam adventum antecessit et proxime secuta est, aliquamdin haerebimus; tum ut Populi conditio luculentius ob oculos versetur, tum quia novus rerum ordo ab eo incepit et prior civilis status a GUILIELMO Conquaestore multum fuit mutatus; cujus vexationes successores immani crudelitate, nec minori imprudentia, secuti viam libertati aperuerunt. E Britonum fere nulla, ex Anglo-Saxonum historia plura remanserunt, quae ad posteriora libertatis incrementa conferrent. Eaque breviter notabimus, quoniam inquisitio instituenda erit

in singulorum jurium originem quae Anglis competunt; nostrum enim non est in remotissima aetate longius immorari, quae multis tenebris obtegitur et obscuratur. Neque juveni haec provincia ullo modo demandari potest, cujus vires tanto operi minime sufficiant. Praeterea in illustrandis illis temporibus multam operam collocarunt eruditissimi historici HUME, HENRY, SHARON-TURNER, PHILLIPS, HALLAM, THIERRY, alii. Quae rite explicuerunt, nobis iterum tractanda non sunt nisi ad propositum nostrum faciant; quae vero illustrare non potuerunt tanti ac talis ingenii viri, in illis audaciae maximae foret, frustra desudare.

SECTIO PRIMA.

NORMANNORUM HISTORIAE BREVIS CONSPECTUS INDE A SAECULO POST CHRISTUM X°, QUO NEUSTRIAM OCCUPARUNT.

Normanni, tota fere Europa crebris invasionibus vastata, criminibusque horrendis per *duo* (1) et quod excurrit, saecula perpetratis,

(1) Immo, jam ineunte SAEC. VI in Galliam venerunt Dani vel Normanni. Hallam, l'Europe au M. A. I. 30. DEPPING, Hist. des Expédit.

finem tandem expeditionibus suis faciendam esse rati sunt, et qui modo hostes implacabiles erant, unius ejusdemque Regni subjecti et incolae evaserunt. Oblatam nimirum sibi Franciae partem a Carolo Simplice, nulla superstite quam depopulari possent, ineunte saeculo decimo habitandam acceperunt. Ferox ille populus qui olim vagam terra marique egerat vitam et tantum omnibus animis injecerat terrorem, ut ubique homines ejus saevitiam deprecarentur, omnia quaeque respuens quae libertatem suam quodammodo restringere viderentur, legibus obnoxius, sed aequalibus, paruit. Scilicet, piratae illi cum fortunam quaerere coacti essent, ducem quidem sibi elegerant quem arduae expeditioni dirigendae praeficerent; at nulla tali duci auctoritas in suos comites fuerat, praeter-

Marit. des Norm. I. 96. Mém. de l'Acad. des Inscript. XV. 641. — BONAMY, Mém. de l'Ac. des Inscr. T. XVII. miserum Galliae statum ista tempestate descripsit. Ita etiam THIERRY, Couquête de l'Anglet. par les Norm. I. 160, CAPEFIGUE, Essai sur les invasions Marit. des Norm. dans les Gaules, Paris 1823, 8°. MONTESQ. Grandeur et Décad. des Romains. Ch. XIX. » Lorsque les Normands, images des conquérans de l'Empire etc." GUIZOT, notice et traduction D'ABBON: *de bellis Parisiacae urbis s. de Lutetia Paris. a Normannis obsessa* (A. 885 et 886). Collect. des Mém. rélatifs à l'Hist. de France, T. VI, Paris 1824.

quam quae ad ordinem in acie servandum valeret. Hinc cum, Rollone (Rolf) duce, ad Franciam adpulissent, nomenque Ducis Galli ex illis quaererent, dicentes: « Quo nomine vester *Senior* fungitur? responderunt: Nullo." (1).

Iam vero, Normanniae Ducatu occupato et Rollone Duce agnito a Carolo Franciae Rege, cui homagium praestiterat simplex et purum, (*per paragium*) vanum submissionis simulacrum, *non vero ligium*, (2) divisa est regio inter eum et commilitones, et qui hucusque avita patrimonia possidebant, Normannorum coloni facti sunt. (THIERRY ibid. I. p. 167, DEPPING, II. 125). Major, ut fas erat, pars certe Duci obtigit, qui praeter bona a caeteris detenta, alias etiam terras iis fortasse dedit et habendas concessit, quo arctius eos sibi devinciret. Iam vero, quod olim in Francia

(1) Dudo de Sancto-Quinctino, p. 76. THIERRY. l. l. I. 165, DEPPING, ibid. II. 79.

(2) Ita saltem perhibent historici Normanni. HALLAM, l'Europe l. c. I, 37, 33, 205. De homagio per paragium D. BOUQUET, Recueil des Histor. de France, T. XI, Préface p. 161. BARANTE, Hist. des Ducs de Bourg. T. XV, 203—207, XVI, 80 sqq. (Edit. Lovan.) de homag. ligio MEERMAN, Gesch. van Koning WILLEM. III., 392, 405. — De feudis universe, praeter alios, KLUIT, in Excursu ad T. I, Hist. Crit. Comit. Holland. et Zeeland. v. FEUDO.

et Germania factum erat, ut hostium devictorum spolia inter victrices gentes dividerentur, eoque modo paullatim regimen feudale nasceretur, hic similiter accidebat. Vinculum illud, quo a domino suo pendebat beneficii possessor, novis obligationibus originem praebebat quas singuli Normanni erga Ducem (1) observarent. Indomitus tamen libertatis sensus in ferocibus animis remanebat, neque facile obliterabatur memoria unius ejusdemque cum illo originis. Erant meritorum suorum conscii, multisque nominibus a Principe colendi. Bene hoc vidit Rolus, ac prudenter interdum Proceribus morem gerebat (2). Praecipue vero cum iis, qui in terris suis vivebant, ab illius curia longius remoti et in homines suos auctoritatem exercebant illimitatam fere, (3) caute agi oporte-

(1) Sed si fides danda cuidam scriptori, jam ante foedus cum Carolo Simplice initum, Normanni," elevaverunt super se ex eorum gente Regem, nomine Rolum. » Chron. Ademari, Histor. de France T. VIII. Depping, II, 85. — Ceterum Rothomagenses jam A. 897 Rolum elegerant, quem urbi praeficerent. Depping, II, 72. Et Suhmio, celeberrimo Daniae historico, Neustriae pars a saeculo nono medio inde (A. 852) ad Normannos transiisse videtur. A qua suspicione non alienus est Depping, T. I. p. 150.

(2) Exemplum v. ap. Depping, II, 137.

(3) Ipse Beaumanoir (A. 1283) scribebat: » Il n'y a entre le seigneur et le vilain autre

bat, nec temere offendi debebant. Adeo in dominiis suis grassabantur Normanni, et tam misere vexabant colonos cum exigendis immodicis extraordinariisque tributis, tum imponendis servitiis quae aut perpetuo aut ad tempus praestanda erant, (1) ut istos villanos, quos vocabant, ad desperationem redigerent. Quibus cogitantibus majores suos olim eamdem regionem possedisse, in qua peregrinis tyrannis nunc parebant degeneres filii, succedente tempore (2) in mentem venit jurium antiquorum recuperandorum consilium. Deliberabant igitur de imperio odioso atque intolerabili tollendo cui subjecti erant, « per diversos to-

juge fors Dieu." MONTESQ. Esprit d. L. L. 28, Ch. 30. HENRION DE PANSEY, de l'Autorité Judic. en France, Ch. XXII. De domini porro in villanum auctoritate, ejusque terminis cf. DE FONTAINES, Conseil à un ami, Ch. XXI; de feudis a colonis possessis, BEAUMANOIR, Coutume de Beauvoisis, Ch. 48. p. 264. HALLAM, l'Europe I. 257. DUPIN, Notices Histor. Crit. etc. sur plusieurs Livres de Jurispr. Franç. Paris 1820.

(1) Qualia servitia, inter alia, erant *angariae-parangariae*. MEERMAN, l. c. III. 271 *Angarians* ap. INGULF. CROYL. p. 902. THIERRY, Conq. de l'Angl. II, 174.

(2) Anno circiter 997. THIERRY, ibid. I, 170, DEPPING, II, 170 sqq. In Britannia vero (Bretagne) villani A. 1034 dominos aggressi sunt. GUIZOT, Cours d'Hist. Mod. T. IV, 8e Leçon.

tius Normanniae comitatus plurima agentes conventicula (1)." Quo magis autem in capiendo consilio consentirent, unamque in aggrediendo et superando hoste communi viam sequerentur, « ab unoquoque coetu duo legati ad *mediterraneum* (generalem) conventum," missi sunt. Sed Normanni talium conatuum effectum timentes, omni, quo potuerunt, modo, et crudelibus in contumaces villanos poenis infligendis, hoc novum averterunt periculum; « reliqui, concionibus subito omissis, ad aratra sunt reversi." (2) Hac ratione querelas justissimas villanorum saepenumero spernebant duri Normanni, usurpationesque suas tuebantur; donec, post infinitos improbosque labores praemium constantiae ferrent servi ac majorem libertatem nanciscerentur; quamquam inter illos

(1) Guil. gemeticensis (guill. de jumiège) Hist. Norm. L. V, c. II, p. 249. — Quin etiam servorum conjurationes in *Flandris* et in *Menpisco* memorantur in ipsis Capitular. T. I, p. 775 et 776. Van praet, de l'Orig. des communes flamandes, p. 41, Gand, 1829.

(2) Guizot, Cours d'Hist. T. I, 7e Leçon, » on dit en général que l'affranchissement des communes a commencé au *onzième* siècle, mais dans tous les grands évènemens, que d'efforts inconnus et malheureux avant l'effort qui réussit! Nul doute que dans le 8e, 9e et 10e siècles il y eût beaucoup de tentatives de résistance etc."

servos, qui ruri degebant et servos urbanos, magnum discrimen locum haberet. Posteriores enim jam longe meliori sorte utebantur, cum illi etiam tum inhumane vexarentur, ac dominis bestiarum propemodum loco essent.

Qui tam acriter in miseros regionis occupatae indigenas saevire solebant, in multis tamen eorum mores sequebantur, multis etiam parcebant quae subactae genti cariora sunt. Venerant e Septentrione, omnium fere rerum atque artium ignari rudes et imperiti illi Normanni, et, licet tunc temporis non ea esset populi Francici cultura, quae extraneis mirabilis videri posset, Normannis tamen poterat. Ita mores francicos, quoad fieri posset pro gentis indole, suos faciebant, linguam francicam (1) adoptabant, legibusque francicis, ut legimus, parcitum est, additis modo illis quae utilitas suasisset et necessitates communes. Religionem Christianam amplexus erat Rollo; imitati erant ejus exemplum commilitones, magis, ut verosimile, levitate ingenii (2) quam

(1) Heeren, Dissert. de l'influence exercée par les Normands sur la langue et la littér. Françaises, Gotting. 1789. Jam, altera post Normannorum in Galliam adventum, generatione, lingua francica eorum propria erat. Depping II. 148, 228.

(2) Unus e Normannis qui in Angliam saepius pirata venerat, se *vicies* baptizatum gloriabatur. Brompton, p. 879, Thierry, I. 144.

animi convictione quidem ducti. Neque hic defuit sacerdotum auctoritas, quae in ignorantium hominum animos magna semper cernebatur. Bellicosior vero Normannorum natura erat et rapinis tantum intenta quam ut sacerdotes ab initiis inde Ducatus imperarent, aut dignitatis suae pondere multum valerent. Rollone duce, non nisi Proceres, Optimates, Milites, non Episcopi nec fere Abbates in conventibus publicis adspiciuntur (1). — Deinde, quae ubique terrarum Ordinis Ecclesiastici in Medio Aevo immunitates, *privilegia* vocant, civilis imperii auctoritatem totam invadebant aut frangere minabantur, in Normannia minus extensae erant. Palmaria, e. g. in illis res, clericorum a jurisdictione civili liberatio, quae a Caroli Magni (2) praesertim aetate invaluerat, ibi cognita non erat, ac *longo demum intervallo post* (3) introducta est, eademque certis limi-

(1) Depping, II. 128 et 129.

(2) Capit. Car. Mg. A. 789. » Ut clerici ecclesiastici ordinis si culpam incurrerent, apud *ecclesiasticos* judicentur, non apud *saeculares*." Alia ap. Hottinger, Hist. eccles. P. I. p. 558 et 571.

(3) Gallia Christiana XI, 52, Neustria Pia, p. 99 cit. a Depping ad A. 1190, Hist. des Expéd. Marit. d. Norm. II, 214. » Eodem fere anno liberata est ecclesia Normanniae a longo servitutis jugo quo premebatur, edictumque fuit, ne in posterum a secularibus apprehendi possent

tibus circumscripta. Haec res sine dubio magnam vim habuit ad Normannorum naturalem indolem integram servandam, quam in caeteris Regnis superstitio nimiaque Sacerdotum reverentia deprimebat. Patriis legibus parebant; Juris vero Canonici infinitis mendaciis atque commentis repleti, fictiones abominabantur.

Quae cum ita essent, non quidem, ut antea, per omnem Europam piraticam exercebant ad vitam sustentandam, attamen, si quod fortitudinis certamen sese offerret, in quo paternam virtutem omnibus innatam ostendere possent, omnia quaeque pericula avide subire cupiebant. Impatientia illa, qua cujusdam generis homines, veluti nautae, alii, multos post annos modo ad domesticos lares reversi, rur-

clerici, nisi etc." Capitalis nempe criminis accusati civili jurisdictioni subjiciebantur. De Britannia (Bretagne) cujus Duces Normannicis homagium praestabant, (HALLAM, l'Eur. I. 40, 156. VOLTAIRE, Essai sur les Moeurs, Ch. XXVI) recentiori aetate quidam sacerdotes inauditis immunitatibus et commodis gaudebant. DARU, Hist. de Bretagne, T. II, 2. » Les chanoines de St. Malo avaient quelques-unes des attributions de l'autorité Souveraine. Ils donnaient des attestations de noblesse, des lettres de naturalisation et de bourgeoisie; et, ce qui était plus important encore, *ils accordaient des lettres de rémission en matière criminelle.*

sus ad eos relinquendos ducuntur, quietem aegre ferentes, et in Normannis spectabatur; in illis conspiciebatur effraenata gloriosis quibuslibet factis participandi libido, longinquas et ipsas regiones adeuntibus (1).

Hujus ardoris alendi caussa progressu temporis a Ducibus militaria sodalitia (2) instituta sunt, in quibus generosi juvenes recipiebantur, comitibus illis similes nationum Germanicarum et ipsius *Scandinaviae*, (3) quorum laudes TACITUS et AMMIANUS MARCELLINUS memorarunt, virili animique fortitudine claris. Eadem fere caussa, cui, fateor, pietas et enthusiasmus illius aetatis adnumerari debet, eos movebat ad peregrinationes in Terram Sanctam faciendas, in quibus ipsi Du-

(1) Expeditiones postea in Apuliam et Siciliam susceptae.

(2) De hoc argum. cf. THIERRY, I. 259, 353. MEYER, Instit. Judic. I, 32. GUIZOT, Cours d'Hist. Mod. T. IV. (1830), VILLEMAIN, Cours de Littér. Franç. 1830 *Chevalerie*.

(3) Dicebantur comites ibi *Kaempe* (*cappar* Island.) DEPPING, I. 39. Virtus bellica Germanis et gentibus universe Septentrionis vera nobilitas erat. Nobiles Russi, ut notum, *boyardi* vocantur; est autem *boye*, *pugna*, *praelium*. SÉGUR, Hist. de Russie et de PIERRE-LE-GRAND, Bruxelles 1829, Vol. I, 300.

ces (1) reliquis non cedebant; primum ad adoranda loca ubi Christus vixit et mortuus est; deinde, ad ejus Sepulchrum Saracenis vi armorum eripiendum. —

Caeterum, Normanniam inter et Franciam nexus non ita magnus intercedebat. Francorum quidem Regi homagium praestandum erat, sed notum erat Ducibus, se et Normannos suos gladio regionem adeptos esse, non sibi donatam in Regii favoris testimonium. Erant vasalli, sed vasalli fortissimi ac potentissimi Regum imbecillorum; ad minimum auctoritatem suam Regiae comparari posse, optime sciebant, neque pax sine ulla interruptione inter eos et Regem vigebat (2). Ut erat tunc Francia in multa, eaque magna feuda divisa, Normanniam, Flandriam, Burgundiam, Aquitaniam, cet. quae solo fere nudo homagio Regi obligabantur, multa erant unde facile bellum exsurgeret et superbissimi Nobiles audacter *magnum* illum *feudorum dispensatorem* adgrederentur (3).

(1) Richardus v. c. et robertus, michaud, Hist. des Croisades, I. 535, Pièc. Justif.

(2) Rex henricus I. v. c. bellum adversus Normanniae Ducem gessit.

(3) Vocabatur Rex *le grand fieffeux du Royaume*. Henrion de pansey, de l'Autor. Jud. Introd. Ch. V. Ejusd. opus: des Assemblées Nation. en France depuis l'établissement de la Monarch. jusqu'en 1614, Paris 1826, 8°. Raepsaet,

Quare etiam in ipsa Normanniae disciplina politica Regia auctoritas nihili erat, sed omnia a nutu Ducis ejusque Concilii pendebant. Sedebant in ea Curia Comites, *Barones*, (1) deinde et Episcopi, Abbates. Agebatur ibi de promovendis rebus publicis, et jus reddebatur si ab inferiori jurisdictione ad Ducem veniret appellatio; cuncta, uno verbo, in Ducatu fiebant ad normam in Regni administratione usitatam. Erant et extraordinarii conventus ad quos generaliter totus Magnatum numerus vocabatur

Analyse Histor. et Crit. de l'orig. et des progrès des droits civils des Belges et des Gaulois, Vol. II. 213—312. (De hoc libro cf. Bibl. Crit. Nova, in qua censuram ejus egit erud. THORBECKE.)

(1) *Baro* proprie sign. *vir* (a TEUTON. *ber* Scand. *herse*); *bar*, *barn*, *bairn*, *beorn*, *vir*, *mas*, *infans masculini generis*. In legg. Francorum tam *baronem* quam foeminam. » Lex LONGOB. L. I. Tit. 9." Si quis homicidium perpetraverit in *barone* libero vel servo. » Revue Franç. Maji 1828, p. 22. Inde lingua Romanica *bern*, *bernez*, *bernage*, *bers*. THIERRY, I. 160. *Le Ber d'Auxi*, Caroli Temerarii Burgundici studiis saec. XV. praefectus (HALLAM, l'Eur. I. 290.) BARANTE, Hist. des Ducs de Bourg. XII. 226. Similiter antiquo Belgico sermone nobiliori sensu usurpabatur voc. *ver*, *foemina*, *domina*. NYHOFF, Gedenkw. uit de Gesch. van Gelderland, 1830, 4°. p. 192. DE JONGE, Hoeksche en Kabelj. Twist, bl. 285.

(cours plenières, parlemens,) de quorum tamen ratione, fine et argumento non admodum constat. Habebantur et illi, quo magis omnia quae a Duce gererentur, ad splendorem Regium proxime accederent, Regiamque Majestatem aemularentur. — Ducem sequebantur Comes Palatinus, Cancellarius, *Senescallus*, (1) Marescallus, alii honoribus spectati viri. Ea erat morum, consuetudinumque feudalium symmetria, ut singuli cujusque vavassoris curtis (aula, castellum) speciem Regiae referret. At in Regno ipso nulla unitas, nullum commune vinculum et auctoritas nulla communis legum; quot Duces, Comites, Magni Regni Barones, tot domini sua ditione, exigua licet, gloriantes, superbi, audaces, nullarum rerum studiosi, nisi quae aut avaritiae aut ambitioni suae satisfacerent.

Haec quod ad formam Regiminis Ducatus externam. Quae autem spectant ad legitimam Ducum potestatem, juraque iis tributa, haec forsitan quibusdam justo minora videbuntur, quibus summi Imperantis indefinita auctoritas jucundior res sit juribus antiquissimis Populorum. Negari vero non potest jus publicum

(1) Comites Andegavenses erant senescalli hereditarii Regum Franciae. CAPEFIGUE, Histoire de la vie de PHILIPPE AUGUSTE, Paris 1829. Le Globe, T. VII, N°. 11.

tam parum notum, nedum excultum tunc fuisse, ut difficile sit ab utraque parte quicquid adserere ac certis documentis confirmare, legum praesertim aliorumque Actorum publicorum. — Traditionis historicae testimonium unicum fere nobis superest. Illa docemur, ipsam Ducum in Normannia successionem hereditariam non valde stabilitam fuisse, sed consensu potius, qui post singuli Ducis mortem petebatur, Normannorum fulcitam. Quinetiam primi Duces quo tutius post obitum suum, atque intactum filiis imperium suscipiendum relinquerent, dum inter vivos erant, ut hos jam tum futuros Duces agnoscerent, et hoc modo Jus electionis impedirent, Normannos suos rogaverant; cujus generis exempla multa in Francorum Regibus animadvertuntur. Ita Rolus filium GUILIELMUM suis commendavit ut eum Ducem habere vellent; quod factum, sed non perpetuo reverentia ipsum prosecuti sunt (1). — In primis quoque illud fiebat cum spurius filius Dux accipiendus esset, aut alius cujus jura non liquida censerentur. Robertus enim, Normanniae Dux A. P. Christ. 1031. Hierosolymam profecturus, subditis suis GUILIELMUM, quem *e concubina* natum puel-

(1) DEPPING, II. 146, 150.

lum, (1) legitimi instar filii diligebat, tradidit oravitque ut ab eo inde tempore patris successor haberetur. Hoc vero, non omnibus consentientibus perfectum legitur; « qui autem in GUILIELMO Duce agnoscendo consenserant, manibus illorum (suis) manibus ejus (GUILIELMI) vice cordis, datis, homagium praestiterunt (2)."

Porro, non solos Duces legislatorium munus exercuisse non ex Normanniae Annalibus tantum patet et ex eorum Curiae s. Concilii formatione de qua superius locuti sumus, sed etiam mori, apud omnes fere Medii Aevi populos recepto atque usitato consentaneum erat. Quae vis in ferendas leges Magnis Regum, aliorumque Principum Conciliis tributa, postea ubi libertas feudalia jura sensim paullatimque

(1) Epistola ad Alanum, Britanniae Comitem: » Ego WILLELMUS, cognomento *Bastardus*." DUCANGE, Gloss. in v.

(2) DUDO de Scto Quint. Hist. p. 157. THIERRY, I. 231. DEPPING, II. 181. THIERRY, II. 32, 110 » datis dexteris," Order. Vitalis p. 515. (Edidit nostra aetate Ordericum GUIZOT.) Praestabatur enim homagium *conjuncta manu*, *compositis manibus*. NYHOFF, Gedenkw. uit de Gesch. van Gelderl. Oorkonden, bl. 205.

GUILIELMUS autem Conquaestor ipse postea, ante Hastingense proelium, pariter Robertum Filium ab Optimatibus futurum Ducem agnosci desideravit. » Optimates gratanter acquieverunt." Order. Vital. p. 545.

sustulit et omnibus civitatis ordinibus communia fecit, in Parlamentis quoque ad Plebejos, cum Nobilibus ac Clero simul vocatos, translata est. Sed haec suo loco videbimus. Illa autem aetate, de qua hic sermo est, hac in re Ducum auctoritas a Consiliariorum consensu pendebat illisque obnoxia erat (1). Quod attinet ad leges, a Rollone ejusque successoribus latas, in his primum merentur locum eae quas adversus furta, rapinas, homicidia tulerunt. Exemplum notabile est in clamore celebratissimo, quem Normannorum quisque in pago suo edere poterat adversus fures et homicidas, qui proinde apprehendi debebant a pagi habitatoribus, poena mulctae (haro, huesium (hue and cry) Anglo-Saxonum). — « Ce n'était que pour crimes, tels que le vol et l'homicide que l'on faisait ces clameurs; tou-

(1) Ita ROLLO, » jura et leges sempiternas, *voluntate principum sancitas et decretas* plebi indixit." GUIL. GEMET. de Mor. et act. Normann. L. II. c. 29. — HOUARD, Anciennes lois des Français, conservées dans les coutumes Anglaises recueillies par LITTLETON (cum animadv. Lord COKE). 2 Voll. 4°. ROUEN, 1766. HOUARD, Traités sur les Coutumes Anglo-Normandes, qui ont été publiés en Angleterre depuis le XI[e] jusqu'au XIV[e] siècle, 4 Voll. 4°. Paris (Dieppe) 1776. DUPIN, Notices Hist. Crit. sur plus. livres de Jurispr. Franç. p. 5 suiv.

te personne avait droit de les faire, et ceux de l'hundred qui négligeaient de poursuivre l'accusé et de l'arrêter, étaient susceptibles d'amende." HOUARD, Anciennes lois des Franç. T. II. 126. COUTUMIER Norm. Ch. LIV. Clamor vero ille vel ore, vel cornu edebatur. BRITTON, Prise des Avers: *lever la meyne de corne et de bouche* (1). — Maxima universe severitate sed non minori aequitate justitiam exsecuti sunt Duces. —

Erat et aliud jus, quod Normannis et reliquis aliarum gentium liberis hominibus competebat, quodque fundamentum sequentibus temporibus omnium immunitatum evasit, jus nempe *concedendorum tributorum* (2). Nimirum, cum in dividendis regionibus vi armo-

(1) HALLAM, l'Europe au M. A. T. II. 31, 415. DEPPING, II. 132. Pièc. Just. 320, 323. VOLTAIRE, Essai sur les Moeurs, Ch. 26. Simile quid in Jaroslavi Codice A. 1018 animadvertitur. SÉGUR, Hist. de Russie et de PIERRE-LE-GRAND I. 63. Plura Russorum instituta cum Germanicis comparavit EWERS, *das aelteste Recht der Russen*, alii.

(2) HUGO GROTIUS, Annal. Belg. I. 3. » nec nisi cunctis volentibus indicere tributa: adeo cavebatur, etiam cum boni Principes essent, ne malis fieri liceret." Quem locum egregie reddidit Germ. SCHILLER, Abfall d. Nied. s. 44. (Stuttgart 1824, Cotta.)

rum occupatis, majorem partem nactus esset Dux, quae *Domanii* nomine appellabatur, ejus ejusque in dominio heredum erat, onera cum publica tum privata ferre (1).

Quo facilius autem tali necessitati occurreretur, jura etiam in feuda vasallorum suorum quaedam ei concedebantur, ordinarie ac regulariter pendenda, quae ex arbitrio tamen Principis nequaquam poterant augeri. Barbare illa jura vocantur *talliae franciles* (2) *s. liberae*, (tailles ès quatre cas, aides, auxilia). Pensiones illae re vera tres numero antiquitus fuerant, quibus, expeditionum cruciatarum occasione, quarta accessit. Solvebantur vero: cum Principis, sive (quoniam ipsa illa res in hujusce regiminis infima serie obtinebat,) vasalli

(1) KLUIT, over het afzweren van PHILIPS, bl. 54—62, (Oratio de abrogato PHILIPPO) n. DE JONGE, oorsprong der Hoeksche en Kabelj. Twisten, bl. 184. KLUIT, Primae lineae etc. p. 125 § 801 sq. Holl. Staatsreg. IV. D. bl. 436, 438. — DE JONGE, Invloed des Derden Staats in de Staatsvergader. bl. 151. — VOLTAIRE, Essai sur les Moeurs, Ch. 58. — Scripsit Renatus CHOPPINUS *de Domanio Franciae.*

(2) DUCANGE, Gloss. v. *talliae franciles* et v. *auxilium.* La Curne de Ste Palaye, Mém. sur la Chevalerie I. 355. (2 Voll. 8°. min. forma) HALLAM, l'Eur. au M. A. II. 75. Idem: Hist. Constit. d'Anglet. T. III. 244. sqq.

feudatarii filius *miles cooptaretur*; (1) altera, cum in matrimonium daret filiam natu maximam; denique, si ipse dominus bello esset captus, ad eum redimendum ex hostium manibus, nummos conferebant. — Verumtamen, aucta Ducum, Principum, Regum ditione, avaritia, luxu, quos diligenter imitabantur Nobiles, ipsis forte rapaciores, accrescebat interdum *auxiliorum* numerus. — Ad auxilia quae Ducis erant, adnumeranda porro sunt haec: cum a domino acciperet feudum vasallus, et terra possidenda ei traderetur; (2) deinde ex proprio Normannis, et paucis quibusdam aliis populis, instituto, non vero Francis, in tutela domini sui manebat minor vasallus; cujus rei consequens erat, ut personam curaret minoris dominus, in suum vero usum feudi reditus annuos converteret donec minor sui juris fac-

(1) *Weerbaarmaking*, MEERMAN, Gesch. van Koning WILLEM I., 130, 234. MEERMANNI operi meritas nuper laudes tribuit Cl. BIRNBAUM., Zeitschrift faer Rechtswiss. des Auslandes, I. B. I. Heft, Heidelberg 1829.

(2) Hoc dicebatur *curmeda*. MEERMAN, ibid. III. 396. HALLAM, l'Eur. I. 220. *Keurmeede* NYHOFF, Gedenkw. Oork. bl. 294, qui hoc tamen aliter exponit. Accedebat ei *primer seisin*, id est, primi anni fructus. SCHMALZ, Staatsverfassung Gross-Brit. s. 24. Halle 1806.

tus esset (1). Jus etiam *maritagii* ad (DUCANGE, Gloss. h. v. MEERMAN, l. c. II. 13.) Dominum pertinebat, qui si nobilibus puellis quarum tutelam haberet, maritum dare vellet, eas, matrimonium recusantes mulctare poterat (2).

Haec et similia jura Ducibus praesto erant ad imposita sibi onera ferenda. Progressu autem temporis, oneribus illis gravioribus factis, neque amplius sufficientibus ordinariis tributis quae vulgo exigere licuerat, ad extraordinarias opes impetrandas animus attentus erat, neque ulla res commodior videbatur, quam ut consilio ac consensu Baronum suorum, sine quibus nihil valebant, ea obtinerent. Quod, quum semel et iterum factum fuisset, axioma inde in Medio Aevo juris Publici natum est, (3) *legitime nulla extraordinaria tributa a summo Imperante subjectis imponi posse*, itemque al-

(1) Explicant hanc rem BLACKSTONE, Comment. T. I, HALLAM, l. c. p. 221. — Item VAN METEREN, *Beschryvinghe der Wetten ende Politien in Enghelandt.* Nederl. Histor. XIII. B. fol. 240 b.

(2) HALLAM, ibid. 223. De singulari quadam et crudeli hujusmodi in Germania antiquitus vigente consuetudine, quam abrogavit in quibusdam Imperii partibus Rex Romanorum HENRICUS VII., v. MEERMAN, l. l. I. 210.

(3) NYHOFF, Gedenkw. uit de Gesch. van Gelderl. Inleid. bl. LXXX.

terum: *eorum consensu posse solum indici, qui ea ferrent.* Quod jus liberi Normanni jam dudum suum fecerant. Nec Baronibus tantum illud fuisse credibile est, sed *communitati* ipsi omnium Normannorum (1). In majori Europae parte hoc tunc temporis nondum locum habebat, sed postea demum invaluit.

Talis fere Normanniae status erat, cum medio saeculo undecimo in illa regione dux celeberrimus regnaret, de quo jam obiter dictum est, GUILIELMUS, Angliae futurus *conquaestor.* Necessitudo jam pridem inter Reges, ex Anglo-Saxonum genere oriundos, et Normanniae Duces, intercesserat, matrimoniis foederibusque firmata. Ultimus inprimis Anglorum Rex, EDWARDUS qui *Confessor* appellatur, quique magnam vitae partem exsul in Normannia degerat, multis in rebus Normannorum fautor erat factus, et certis quibusdam Normannis familiarissime utebatur, adeo ut multorum Anglorum odium ejus rei caussa in se excitaret. Invisi enim erant Anglicis optimatibus Normanni, ut fere solent indigenae odisse peregrinos, maxime cum hi Principi gratiosi sint eique adulentur, populi negotia minime curantes, privata certe anteponentes, quippe quos plerumque nullus alieni soli amor mo-

(1) Chron. de Normandie, hist. de la France, T. XIII. p. 225.

veat. Hinc, cum ad avitum imperium electione libera Anglorum eveheretur EDWARDUS, Normannorum fastum ac vexationes timentes, stipulati fuerant Angli « ut paucissimos Normannos secum adduceret (1)." Cui tamen promisso non stetit Rex.

Notissima res est expeditio a GUILIELMO in Angliam facta, notissimum ab eo fundatum Imperium. Quo vero jure Regnum adgressus sit non facile liquet, neque lubet eum in finem instituere investigationem. Non multum sine dubio a veritate aberremus, jus GUILIELMI non optimum fuisse, pronuntiantes. Ipse enim in juris sui origine alleganda non semper sibi constitit (2). — At non ineptum videtur indaga-

(1) HENR. HUNTINGDON, p. 365. THIERRY, l. c. I. 242.

(2) » WILLELMUS rex *haereditario* jure factus. — In ore *gladii* regnum adeptus sum Anglorum. » THIERRY, Conquête, II. 17." Cujus (EDUARDI Confessoris) *cognatione* et *consanguinitate* rex noster WILLELMUS fundat conscientiam regnum Angliae invadendi. Ingulfus Croyl. p. 911. THIERRY, II. 371. » Dux GUILLELMUS, ne justam causam videretur decolorare temeritate, ad ALEXANDRUM (II.) apostolicum misit, justitiam belli suscipiendi, quantis poterat facundiae verbis, allegans. Quod quia HAROLDUS facere supersedit, Papa, partibus apud se perpensis, vexillum in omen regni GUILIELMO contradidit." Guido apud Alberic. Trium Font. ad A.

re, quo modo GUILIELMUS ad invadendam Angliam Normannos suos excitarit, quibusque mediis adhibitis expeditionem molitus sit. Nam licet avidi essent proeliorum et praedae, jamque spoliis in occupanda insula opimis legendis inhiarent, non omnibus tamen aeque gratum accidebat Ducis consilium, quos nimirum deterrerent multae magnaeque impensae ad tantum negotium gerendum necessariae. Primum itaque qui in Concilio sedebant, sententiam rogati voluntati GUILIELMI assentiebant, dicentes tamen, haec non sufficere, oportere Ducem ab omnium Normannorum communitate subsidia impetrare; qui enim impensam faceret in rem, jure vocari debere ad consensum suum manifestandum (1).

Quo probato consilio, in unum conventum cunctorum ordinum nobilissimos ac ditissimos Viros collegit, milites, Ecclesiasticos, mercatores. Magna erat in exprimendis sententiis discrepantia (2). Erant, qui tributa concedere nollent ad vastam extraneamque regionem

1066 (si fides ei habenda.) Cf. quoque de bulla Pontificis Max. GUILLIELMO data, THIERRY, I. 285. — Caeterum de hoc argumento ab Acad. Gandav. A. 1826 quaestio proposita fuit.

(1) Chron. de Normandie, hist. de la France, T. XIII. p. 225. cet.

(2) THIERRY, I. 282. — Paullo aliter rem narrat RAPIN-THOYRAS, Hist. d'Anglet. I. 453.

Ducatui adjiciendam, quae paullo post patriae suae anteponeretur. Neque poterat eos fallere fraus ob Osberti filio, GUILIELMO, Senescallo, adhibita. Coram Duce dicere non dubitabant, eum, si extra ordinem praestarent atque ultra debita tantas pecunias, in transmarina hacce expeditione facienda, illud in futuri temporis necessitatem tracturum, et inde ordinaria onera illis, liberisque impositurum esse: hoc fieri non posse, neque debere (1).

Singulos deinde, atque seorsum a reliquis ad se arcessivit, adulatus est iis et affirmavit, se hac eorum extraordinaria liberalitate non abusurum; addens praeterea se litteris, Magno Sigillo munitis, illam promissionem agnoscere velle, (» et teles lettres come ils en vouldroient deviser, il lor en feroit." Chron. de Norm. l. c.) Quae verba, nec minus Papae bulla qua Normanniae Dux insuper juvabatur, (2) Normannorum in denegandis tributis perseverantiam vicerunt. Egregium tamen antiquissimi temporis exemplum, quod in libertate sua stabilienda optime et non semel,

(1) Chron. de Norm. l. c. p. 226. ROBERTI DE MONTE, Append. ad Sigebert. Hist. de France, T. XI. 168.

(2) Ad quem animum incitandum valuit etiam merces militibus data. THIERRY, Conq. I. 286, 312. II. 21, 234. (gregarios equites), 278, 394.

imitati sunt, Anglia subacta, generosi Normannorum nepotes.

Quam in brevissima Normannorum antiquae historiae expositione, viam ingressi sumus, eamdem, age, sequamur in enarrandis antiquissimis rebus gestis Anglorum. Ita, ab utraque parte duorum postea in unum conflatorum populorum statu, moribus, institutis, legibus ob oculos positis, quae GUILIELMO merita adnumeranda, quae deneganda sint, facilius ac luculentius patebit.

SECTIO SECUNDA.

BREVIS HISTORIAE BRITANNICAE CONSPECTUS USQUE AD ANGLO-SAXONUM ADVENTUM.

Quae est communis omnium gentium fortuna ut earum origines investigare nequeamus, ea in Anglorum quoque historia cernitur. TACITO teste, (1) « Britanniam qui mortales initio coluerint indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum." Pictos tamen antiquitus in hac insula habitasse versus meridiem, dein vero plurimarum gentium Gaëlicarum (Celtas vulgo vocant,) invasione ad

(1) Vita Agricolae, c. XI.

Septentrionem repulsos fuisse, admitti posse videtur; quo etiam, posteriori aetate, ex Hibernia convenerunt Scoti (1). Gaëlis autem illis, qui australem regionis tractum occupaverant, *Britonum* nomen erat; homines erant feroces, in deposcendis periculis audaces, Gallis prope similes, Druidum ac mantissarum exhortationibus parentes. Quae ferocia, quamquam JULII CAESARIS adgressionibus paululum fracta, et primo post natum Christum saeculo a Claudio Imperatore et Julio Agricola domita, diu iis adhaesit; ut enim Lusitani Viriatum, Batavi Civilem, sic Caractacum habuerunt Britanni; — donec prudentia civilis Romanorum in regendo hoc populo, eandem, quam ubique viam secuta contumaciorum animos reprimeret, insulaque in provinciae formam redacta et adjecta Imperio, tandem subjugaret. Ita Romanorum dominio subjecti per quatuor circiter saecula Romanas sequebantur leges, Romanasque recipiebant legiones, quae Pictos ac Scotos non semel in

(1) G. PHILLIPS, Versuch einer Darstellung d. Gesch. d. Angelsaechs. Rechts, Einleit. § I. n. 6 et 7. Cujus operis censura exstat in Bibl. Crit. Nova, Vol. III. p. 255 sqq., auctore Cl. THORBECKE, cui Viro quam plurima me debere, gratus fateor. Omni, qua potuit, opera me ad Historiae studium impulit, in primis Anglicae, saepe quoque consiliis me adjuvit.

Britanniam irrumpentes repellerent, et Britones debilitatos et imbecillos factos tuerentur. Ineunte autem saeculo V cum ingens barbararum gentium multitudo, ex humani generis quasi *officina* (1) oriunda, Imperium Romanum urgeret, legiones inde revocatae sunt, ut patrium solum pro viribus defenderent atque interitum orbi Romano imminentem averterent. Qui Populus tam diu totum fere mundum subegerat, qui dabat olim Imperium, fasces, legiones, omnia (2), is jam dudum enervatus et morum integritatem oblitus, cecidit, magnum humanarum vicissitudinum exemplum.

Britones interea non amplius armis Romanorum adjuti et bello cum Pictis Scotisque gerendo impares, misere vexabantur. « Re-

(1) Montesquieu, Esprit d. L., L. XVII. Ch. 5. » Le Goth Jornandes a appelé le Nord de l'Europe la fabrique du genre humain. Je l'appellerai plutôt la fabrique des instrumens qui brisent les fers forgés au Midi. C'est-là que se forment ces Nations vaillantes, qui sortent de leur pays pour détruire les tyrans et les esclaves, et apprendre aux hommes que la Nature les ayant faits égaux, la raison n'a pu les rendre dépendans que pour leur bonheur." Châteaubriand, de Buonap. des Bourbons et des Alliés. Paris, 1814. p. 25.

(2) Juvenalis, Sat. X.

pellebant eos Barbari ad mare, repellebat mare ad Barbaros." (1) In eo erant, ut vel ab hoste jugularentur, vel mergerentur aquis. Quae horrenda gentis conditio cum civilibus discordiis ac contentionibus de principatu etiam intolerabilior devenisset, accidit, ut versus A. P. Chr. Nat. 449 (1) parva Saxonum manus, ducibus Hengisto et Horsa, e Germania in exsilium pulsa et fortunam quaerere coacta, ad insulam cui nomen *Thanet*, applicaret. Jam olim hujus nationis, aliarumque, Anglorum, Danorum et Jutarum ex Chersoneso Cimbrica piratae Britanniae littora infestare consueverant. (1) Hoc vero malum omen Britones non curarunt, sed suscepit Saxones Rex Vortigernus, quorum auxilio se suosque adversus

(1) Gildas, liber querulus de excidio Britanniae XVII. (ap. gale.) Robertson, History of the Reign of the Emper. charles V, Nota 1.

(1) Hume, etc. — Phillips, Versuch I. l. § V, n. 42.

(1) Cujus rei documento est *Comes littoris Saxonici per Britanniam* a Romanis cantii (kent) defensioni praefectus. Du cange, Gloss. v. *Comes Notitia Dignit. Imperii Orientis et Occidentis*, cap. 72. Hoc opusculum commentatus est Pancirolus (Antiq. Rom. Graevii T. VII.) Cf. de eo haubold, Instit. litt. I. 379. Nuper analysin ejus dedit guizot, (Cours d'Hist. Mod.), multaque ex eo hausit, ut e salviani libro *de Gubernat. Dei*.

Pictos tutaretur. Repulsi quidem sunt Picti; at recedere noluerunt, rebus compositis, advenae. Immo eorum numerus semper crescebat, quippe quem callidi Duces sensim paullatimque augerent, novis piratis vel militibus accitis. Ac tandem tempus adesse rati, cum Pictis foedere inito, ex defensoribus hostes evaserunt, et quos protegerent, aggredi non puduit.

SECTIO TERTIA.

ANGLO-SAXONES.

HEPTARCHIA.

Ab A. 449 — A. 827. (1)

Nec spes fefellit Saxones, licet, ad desperationem redacti Britanni et majorem suorum

(1) HUME, HENRY, PHILLIPS, SHARON-TURNER, SCHLOSSER, Weltgesch. II Band, II Th. s. 1—67. HALLAM, l'Europe au M. A. T. II. RAPIN-THOYRAS, T. I. Inleidinge tot de Historie van Engeland, beschreven door den Ridder WILLEM TEMPLE, Rotterdam 1695. LUDEN, Allg. Gesch. d. Voelk. u. Staaten, II Th. II Abtheil.. BLACKSTONE, B. IV, Ch. 33. *of the rise, progress, and gradual improvements of the laws of England.* CUSTANCE, Tableau de la Constit. d'Anglet. Paris 1817. *Conclusion*, etc.

fortitudinem recordati, armis captis, diu sese defenderent. Quamquam enim pluries novae iterum Germanorum copiae advenirent auxilio Saxonum, virtute tamen Britannorum factum est, ut post unius saeculi atque dimidii intervallum demum tota omnino regio hosti subjiceretur. In quo temporis spatio ab Anglo-Saxonibus VII. in Britannia regna singula deinceps condita sunt et Duces Reges, sive Reguli potius facti. Hic Populi status *Heptarchia* vulgo nominatur. Erant autem illa regna: *Cantii* (*Kent*), quod jam A. 455. HENGISTUS instituit; *Sussexiae*, id est, *australium Saxonum*, *West-Saxoniae* (*occident. Wessex*), *Essexiae*, (*oriental. Saxon.*) *Northumbriae* (*Northumberland*), *Regnum orientalium Anglorum* (*Oost-Angelen*) denique *Merciae* s. *Merciorum*, quod A. P. Chr. 585 ortum perhibetur.

Haec dum agerentur, omnia vastaverant Saxones, publica simul et privata aedificia, (1) a Romanis vel Britonibus exstructa; culturae reliquias, delentes, omnesque quos bello cepissent, ad unum fere interficientes. Qui aut morti, aut indigno servitio se subducere potuerant, « transmarinas regiones dolentes pete-

(1) BEDA, Hist. Eccles. Angl. L. I, 15. PHILLIPS, § VI, n. 54. (Venerabilis BEDA, natus 673, obiit A. 731.)

bant; (1) alii perstantes in patria trepidi pauperem vitam in montibus, sylvis vel rupibus arduis, suspecta semper mente agebant." Posteriores maxime in Walliam atque Cornwalliam confugerunt; alii vero inter occidentales quoque Saxones remanebant, sed, ut dixi, aut servi fiebant, aut hostium saltem coloni (2).

Wallenses vero Britones, in unum civitatis corpus congregati, antiquas leges observare pergebant, linguam retinebant, ac saepe Saxones aggressi, saepe quoque ad fines suos repulsi, invictum se populum effecerunt, fortissimis illis et ferocibus majoribus optime comparandum (3).

Jam, imperantibus Romanis, saeculo post Christum secundo, Christianam fidem amplexi erant, (4) idque tam sincero animo, ut ei addiscendae et docendae magnam operam navarent, acerrimo eodemque fervido ingenio

(1) *Armoricam* v. c. inde, ut fertur, *Britanniae* nomen adeptam. Hallam, l'Europe I. 156, Thierry, I. 22.

(2) Phillips, n. 52, XXXIII et XXXIV.

(3) Hume, Hist. of Engl. I, 14 foll. Schmalz, Staatsverf. Gr. Brit. 16. Van Meteren, Ned. Hist. XIII. Boeck.

(4) Phillips, l. l. n. 23.

praediti (1). Nata ibi est Pelagii secta; et, quae Duidum reverentia nimia fortasse olim apud eos fuerat, eam erga sacerdotes Christianos perpetuo conservabant. Magna igitur in illos auctoritate, sed prudentia temperata, utebantur Presbyteri, nec vero in Presbyteris fraudes istae animadverti poterant, quae Ecclesiae proprie Romanae ubique terrarum, in multorum animis, meritum contemtum excitaverunt. Eorum Episcopi atque Archiepiscopi Papae non subjecti erant, neque, quamquam reperirentur monasteria, in torpore monachico ac pigritia clerici vivebant. « Ars unicuique scilicet eorum dabatur, ut ex opere manuum quotidiano, se posset in victu necessario continere" (2). Ut erant antiquitus Druides, Caesare teste, (3) legum juriumque scientia

(1) Noti sunt Britonum Bardi, quos nomine *Beirdd* designabant. THIERRY, I. 10. Cernebatur similiter Gaëlorum enthusiasmus in piis peregrinationibus in Terram Sanctam faciendis. Giraldus Cambrensis ap. MICHAUD, Hist. des Croisades, II. 528—537. De Bardis plura v. in Klotzii elegantissimo libello, cui titulus: *Tyrtaeus*, ubi est Dissert. *de Carminib. bellicis quorundam populorum.*

(2) Preuves de l'Hist. de Bretagne, T. II, 25. TIERRY, Conq. I, 71.

(3) De Bello Gall. VI, 13. BLACKST. on the study of the law, p. 39. (Bell's Edit. of the Comment. 1813) et 82.

instructi, quae non scriptis, sed ore tradebant, deinde memoriae committebant, ita in communi illa omnium istarum aetatum ignorantia, apud Wallenses juris edicendi provincia sacerdotibus tribuebatur. Huic Druidum consuetudini juris communis Anglorum transmissio (1) a generatione in generationem, sola traditionis ope, nec literis mandati adscribi posse, nonnullis JCtis visum est. De cujus juris origine, vi ac natura suo loco amplius dicemus; fundamentum autem est justi et aequi, propugnaculum libertatis, et laudibus merita ejus efferre solent Angli (2).

Juris etiam privati Britonum quaedam reliquiae hodieque in singulis quibusdam Angliae partibus vigent; ex his una omnium maxime consuetudo aequitatem spirat ea, quae dicitur *Gavel-kind* (3). Non enim maximo natu

(1) *Common-law.* BIRNBAUM, Biblioth. du Jurisc. et du Public. I. 477 sqq. BLACKST. Comment. IV, 33. CUSTANCE, Tabl. de la Const. d'Angl. p. 429. MEYER, De la Codification, p. 212. suiv. Amsterdam 1830.

(2) Verba Parlamenti A. 1610 ad JACOBUM I.: » La loi commune du Royaume qui est aussi ancienne que le Royaume lui-même." HALLAM, Hist. Constit. d'Anglet. II. 56.

(3) CUSTANCE, p. 15. BLACKST. I. 92. VAN METEREN, l. l. Legimus item inter Leg. GUIL. Conq. 36. » Si quis intestatus obierit, liberi ejus haereditatem ex aequo divident." PHILLIPS, §

filio soli post mortem patris haereditatem concedit, sed omnibus una filiis; quae res in Anglia singularis vocanda.

Haec vero hactenus: ad Anglo-Saxones revertamur. Ac primum quidem breviter, sed accuratissime regna illa nova, ab iis condita populique mores descripsisse mihi videtur cel. GUIZOT, Cours d'Hist. Mod. T. I, 9e Leçon. « En Angleterre, ait, ut ejus verbis utamur, en Angleterre, parmi les Saxons, les moeurs barbares subsistent presque entières. Les royaumes de l'heptarchie ne sont guère que les domaines de bandes diverses, ayant chacune son chef. L'élection militaire est plus évidente là que partout ailleurs. La royauté Anglo-Saxonne est le type le plus fidèle de la royauté barbare."

Quae omnia Germanicae, Saxonicae et Frisiacae praesertim originis, signa prae se ferunt;

41. n. 413, qui diversas ad jus haereditatis facientes leges Anglo-Saxonum ibi attulit. — Leges, quas citavi, GUILIELMI *Conquaestoris*, partim Francica, partim Latina lingua scriptae sunt, sed dubium est de illarum sinceritate. Inveniuntur in Ingulfi Croyl. M. S. HALLAM, l'Eur. au M. A. IV. 364. Ingulf. Croyl. Script. Oxon. p. 88. DAV. WILKINS, Leges Anglo-Saxonum ecclesiasticae et civiles, Londini 1721 p. 219. Mém. de l'Acad. des Inscr. XVII. 179. Majorem iis auctoritatem tribuit PHILLIPS, § XX.

quamque in Normannis posterioris aetatis ferorociam admirabantur imbelles homines, eadem tunc Saxonibus erat. Libertatis amantissimi, jura sua et cognoscebant et vindicabant; quicunque eos aggrederetur, illum fortiter repellebant, neque iterum impetum in eos faciebat hostis repulsus, quin majori rursus vi fractus denuo in fugam converteretur. Testes sint Saxones ac Frisii, qui, quum per plura saecula patrium solum adversus cunctos, quotquot essent numero, defendissent, quum tota fere Europa Francis pareret, a CAROLO MARTELLO non subacti fuerunt, CAROLO MAGNO autem per triginta continuos annos restiterunt; testes generosi illi et magnanimi Viri, qui longo tempore post apud illos tyrannidem oderunt, libertatem ore ac manu tuiti sunt. Tali quoque stirpe oriundi Anglo-Saxones diu avitos mores colebant institutaque Germanica in Britanniam intulerunt; quae libertatis semina altioris etiam ibi arboris causa fuerunt.

Venerant in Britanniam nullis Regibus subjecti, sed ab illis adducti, quos aut sors designaverat, aut pagorum suffragia praefectos elegerant expeditionibus inchöandis atque dirigendis. Poëta Saxo: « sed variis divisa modis plebs omnis habebat, quot pagos, tot paene duces (1).”

(1) PHILLIPS, n. 36.

Qua de re sic loquitur Beda (1). « Non habebant Regem iidem antiqui Saxones, sed satrapas plurimos suae genti praepositos (ealdormen) (2) qui, ingruente belli articulo, mittunt aequaliter sortes, et quemcunque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem (heretogan) omnes sequuntur, et huic obtemperant. Peracto autem bello, rursum aequalis potentiae omnes sunt satrapae." At, subacta Britanniae parte, dux unus et item alter in Regnum evectus est, nec, singulis deinceps occupatis insulae regionibus, Reges defuere. Inde, quae

(1) L. V, 11.

(2) » Naturalis ergo lingua Francorum communicat cum Anglis. » WILLEL. MALMESBUR. Hist. p. 25. BEDA, III. 23." Lingua Danorum Anglicanae loquelae vicina est. » Script. rer. Danic. IV. 26. » Eadem tunc Angliae quae Daniae et Norwegiae fuit lingua." Sagan of Gunnlaugi, p. 88. THIERRY, I. 60, 121, 184, 172. Magna est orationi Anglo-Saxonicae cum sermone Belgico similitudo; quae res, instituto legum Anglo-Saxonicarum examine, manifesta erit. Eximii Grammatici nostri multum ex eo fonte hauserunt ad illustranda infinita vocabula; multa etiam passim attulit MEYER, Esprit, orig. et progrès des Instit. Jud. T. I. Neque differebant linguae Francica et Danica valde ab Anglo-Saxonica, quippe quae ejusdem fere originis essent. Exstat opus: *sur la langue et la littér. des Francs*, par GLEY, Paris 1814.

temporaria hucusque Ducis in regendis militibus potestas fuerat, Regi in futurum quoque tempus et perpetua dabatur. Neque vero haereditaria erat illa atque in filios transibat; quid sibi vellet legitima et non interrupta Regum successio, quaeque ad eorum liberos jure perveniret, Anglo-Saxones ignorabant. Legitimis interdum filiis spurios praeferebant, defuncti fatrem ejus filiis, adeoque natu maximum filium non antea Regem accipiebant, nisi ponderatis ejus, ejusque competitorum meritis (1). Cum autem quidam Heptarchiae Reges finitima regna, unum, duo aut plura ditioni suae adjecissent, Regia potestas sensim crevit et Populi in publicis universe negotiis minor auctoritas evadebat. Maxime Clero adjuvante, qui, licet tarde religio Christiana a barbara gente recepta fuerit, hic quoque et suas res promovere studebat, unaque Regum, hos augendis

(1) THIERRY, Conq. I. 255. V. tamen dissentem PHILLIPS, n. 229, qui vero plura notat ad prioris scriptoris sententiam quam secutus sum, probandam utilia. Anglo-Saxonum regnum vocat PHILLIPS, „*ein erbliches Wahlreich.*" Ei adsentior, si nimirum consuetudine, non vero jure illud introductum intelligatur, et ne hoc quidem omnino et plene convictus facio. ALFREDUS Mg., neglecto fratris filio, A. 871 electus est ab Occid. Saxonum sapientibus, episcopis et militibus. THIERRY, I. 114.

honoribus, divitiis et immunitatibus suis necessarios sciens, quorum vero etiam quotidie pietatem experiebatur. Hinc ad restringendam in eligendis Regibus libertatem haec statuta legimus in Concilio Calchut. A 785. « Ut in ordinatione regum nullus permittat pravorum praevalere assensum; sed *legitimi* reges a sacerdotibus et senioribus populi eligantur, et non de adulterio vel incestu procreati: quia, sicut nostris temporibus ad sacerdotium secundum canones adulter pervenire non potest; sic nec Christus (unctus, χριστὸς) Domini esse valet et rex totius Regni, et haeres patriae, qui ex legitimo non fuerit connubio generatus (1)." Quod ipsum tamen decretum non recte observabatur, et longum adeo post intervallum, Edmundus latus-ferreum (Ironside) dictus, spurius quamquam, Rex creatus est, praetermissis legitimis Ethelredis II. liberis (2). Accedunt alia, eaque sequentis aetatis exempla, quae

(1) Hallam, l'Eur. au M. A. T. III. p. 312. Citat h. l. Sharon-turner, History of the Anglo-Saxons (T. IV, B. IV, Ch. 1.) Phillips, n. 229, § XXI.

(2) A. 1016. thierry, I. 176. Math. Paris ad h. a. hallam, l'Eur. T. II. 170. Maxime hoc factum est ope burgensium Londini et partim a Nobilibus. — A. 1041. » Eall folc geceas Eadweard (Eduardum Confessorem) to cyng." (Chron. Saxonic. Gibsoni p. 156.) Exemplum Haroldi A. 1066.

diutius in Anglia, et fere usque ad Regum Anglo-Saxonicorum interitum viguisse in hoc argumento magnam licentiam, probant. — Neque in Anglia magis quam in Francia filiae in regnum evehebantur, ut dixeris et hic Legem Salicam viguisse (1).

Primum igitur omnium illorum regnorum et vetustissimum *Cantii* fuit, cujus rei speciem arripiens centum, et quod excurrit annis post, primas supra ceteros Reges partes sibi vindicavit AETHELBERTUS, (Ab A. 568—616) primus bellum inter Anglo-Saxones civile movit, et avidius alienos fines invasit. Neque propositum ejus felici successu caruit: nam imperium auxit atque extendit. BERTHAM uxorem habebat, « de gente Francorum regia, quam ea conditione a parentibus acceperat, ut ritum fidei ac religionis suae cum Episcopo, quem ei adjutorem fidei dederant, nomine LUITHARDO, inviolatam servare licentiam ha-

(1) *De Lege Salica, ejusque origine, auctoritate et usu* est HEINECCII Disput. Oper. Vol. III. p. 263, et praemissa Corpori Jur. Germ. PETRI GEORGISCH. Optime de ea scripsit MONTESQ. Espr. d. L., L. XVIII. Ch. 22. Cf. quoque Mém. de l'Acad. des Inscript. T. XX. p. 161 et 182. Ejus Historiam et explicationem dedit cel. WIARDA, Gesch. d. Urspr. u. d. ausleg. d. Salischen Gesetzes, Bremen, 1808. — GUIZOT, Cours d'Hist. T. II. 252 sqq.

beret." (1) Cujus Reginae consiliis et auctoritate, nec minus calliditate Pontificis Max., GREGORII Magni et legati AUGUSTINI, omnia quaeque molientis quibus finem suum attingeret, victus AETHELBERTUS, Christianam religionem Cantuariis praedicandam permisit. Ad alias porro provincias perveniebat illa, quin tamen ea integritate et puritate conspicua esset, aut ii Presbyteri, quorum exhortationibus monitisque ducti populi morum barbariem multum emendare conarentur (2).

Nec sola regni sui ampliatione, aut fidei Christianae introductione hic Rex nobis est memorandus, sed illo etiam regnante jus consuetudinarium primum literis notatum est (3).

(1) BÉDA, I. 25. HUME, Hist. Ch. I, p. 33. PHILLIPS, n. 75. sqq. BROES, de Kerk en Staat, Amsterdam, 1830, I. 168, 172 volgg. SÉGUR, les Femmes, I. 114. Paris, 1819.

(2) Cf. maxime PHILLIPS, n. 83. HALLAM, l'Eur. IV, 138, 143. HENRY, Hist. de la Gr. Bret. L. II. c. 7.

(3) BEDA, II. 5. BLACKST. I, 161. PHILLIPS, n. 213 et 214. JOHN REEVES, the History of the English Law, from the Times of the Saxons to the End of the reign of ELIZABETH, V Voll. 8°. G. CRABBE, A history of English Law; or an Attempt to trace the Rise, Progress and successive changes of the Common-law, from the earliest Period to the present Time. Zeitschrift f. Rechtsw. u. Gesetzg. d. Ausl. II. B. 2. u. 3 Heft, s. 477.

« Qui inter caetera bona, ait BEDA, quae genti suae consulendo conferebat, etiam decreta illi judiciorum — *cum consilio sapientum* constituit, quae conscripta Anglorum sermone hactenus habentur et observantur. In quibus primitus posuit, qualiter id *emendare* deberet, qui aliquid rerum vel Ecclesiae vel Episcopi vel reliquorum ordinum, furto auferret; volens scilicet tuitionem eis, quos et quorum doctrinam susceperunt, praestare.” Erat in illis legibus descripta summa compositionum, in vulnerationes statuta, eaque accuratissima, ut mores Germanici ferebant (1). Erat

(1) PHILLIPS, n. 211. V. ejusm. Indicem pro Hunsingoa A. 1252 ap. MEERMAN, Gesch. van Koning WILLEM, III., 60—72. Codex etiam Jaroslavi pro civitate Novogorodensi A. 1018 latus compositiones admittebat. SÉGUR, Hist. de Russie, I. 62. De Jaroslavo MULLER, Allg. Gesch. XIV. B. K. 29; de compositionibus universe Luden, Allg. Gesch. d. Voelk. u. Staaten, II Th. I Abth. s. 164. BERCK, Gesch. d. Westphael. Femgericht. I. B. s. 20 (Bremen, 1814). Dissert. KAESTNERI, *de Werigeldo*, Lips. 1742, FEUERB., Lehrbuch, § 213. — MEYER, Instit. Jud. Vol. I. — Saeculo VI. ap. Burgundiones de homicidio non amplius poterat componi; inde remanebant odia privata, faidae. MULLER, XI B. K. 3. (Dicitur faida Corsicanis *vendetta traversa*. VAN DER VELDE, THÉODORE, le Roi d'Été p. 172. De singularibus faidis apud Afros Felupas, Mungo-Park, Abrégé

quoque domus immunitatis infractio (*hamsochne*, *home*, domus, Leg. AETHELB. 17, PHILLIPS, n. 294 et 501) poena sancita; quae res in magno illo barbararum legum acervo admirationem nostram excitet, necesse est. Quod enim CICERO dicit: « quid sanctius, quid omni religione munitius, quam domus uniuscujusque civium?" hoc liberi hominis jus tali aetate agnitum videre, est quod eo magis miremur cum in novissimis liberis Populorum Constitutionibus idem expressis verbis statuendum esse, judicatum fuerit. « La loi Anglaise a une haute idée de la sureté d'un particulier, dans sa maison qu'elle appelle sa *forteresse;* et jamais

p. 11.) — In Hispania compositiones *caloniae* vocabantur. — Art. 9 de l'ordonn. de Mars 1356: » Comme il est venu à notre connaissance que les officiers de nos bailliages et prevôtés — ont reçu, *en cas criminels et capitaux* — *composition* dont les crimes étaient demeurés sans être poursuivis, contre la raison et le bien de la justice, voulons et ordonnons que toutes telles compositions *cessent* dorénavant — défendons à tous justiciers qu'ils ne reçoivent auçunes personnes à composition *en cas de crime*, ains soit fait pleine justice." — HENRION DE PANSEY, de l'Autor. Judic. Ch. XIV. — NYHOFF, Gedenkw. Oorkonden bl. 182. In Polonia abrogatae demum sunt compositiones A. 1767, Russos inter et Polonos inito foedere. Rulhières, Anarch. de Pologne, II. 499.

elle ne souffre qu'on la viole impunément." DESTRIVEAUX, Essais sur le code Pén. p. 51. BLACKST. Ch. 16. (on wrongs). HALLAM, Hist. Const. II. 246. Displicet haec *castelli* denominatio BENTHAMIO, Princip. de législat. Ch. 13 § 5.

Auctoritas illa, ad quam AETHELBERTI prudentia civilis et bellicosus animus Cantuariorum regnum attulerant, mox decrevit atque translata est ad Northumbriam, hinc ad Merciam, tandem vero in occidentalium Saxonum (Wessexiae) Regibus constitit. Inter Northumbriae Reges clariores numerantur AETHELFRIDUS, cujus in bellis contra Britones et Scotos gestis, virtus emicuit; EDWINUS (A. 617—633) et OSWALDUS. « Tanta autem pax eo tempore in Britannia, quaquaversum imperium Regis EDWINI pervenerat, fuisse perhibetur, ut, sicut usque hodie in proverbio dicitur et de suo tempore testatur BEDA, (1) etiam si mulier una cum recens nato parvulo vellet totam perambulare insulam a mari ad mare, nullo se laedente, valeret." — Mortuo

(1) GUIL. MALMESB., *de rebus gestis reg. Angl.* L. I. p. 18. PHILLIPS, § VIII, n. 90. SCHLOSSER, Weltgesch. II B. II Th. s. 19.

autem EDWINO, magna inter Merciae Reges, Pendam, aliosque, et Northumbrios certamina exorta sunt, e quibus, postquam vario Marte pugnatum esset, superiores recesserunt Mercii.

Interea Wessexiae Rex factus est INA, ob virtutem magis, quam per successionem haereditariam, Regnum adeptus (1); « fortitudinis unicum specimen, prudentiae simulacrum, religione parem nescias. Quibus artibus vitam componens, domi gratiam, foris reverentiam merebatur. Adeo annis 58 (2) potestate functus, sine ullo insidiarum metu securus incanuit; sanctissimus publici amoris lenocinator." Literas amabat, (3) et quae ad emendandam gentem suam tentaverit, et barbariem aevi depellendam « indicio sunt *leges* (4) ad corrigen-

(1) PHILLIPS, § IX. n. 102 sqq. — A. 668—726. GUIL. MALMESB. I, 2 p. 14. — Sussexiam A. 724 subegit. — Primus Scti Petri denarium solvisse dicitur Ina a quibusdam. PHILLIPS, n. 104 et *555 a*.

(2) V. tamen RAPIN-THOYRAS, T. I. p. 210.

(3) HEEREN, Gesch. d. class. Litt. im Mittelalt. (de eruditione Britanniae Saec. VIII.) I, 124, 128, 130—137. HENRY, Hist. of Great. Brit. II. 327. Et de superioribus temporibus, HEEREN, I. 97—102.

(4) Agebatur in illis legibus de Ecclesiae rebus capit. 5, de rebus civilibus cap. 72. PHILLIPS, n. 234; de Ordaliis etiam. Videtur et agriculturam lege tutatus esse. Leg. Inae c. 42. » Rus-

dos mores in Populo latae: in quibus vivum ad hoc tempus, teste eodem scriptore, puritatis suae resultat speculum."

Tali modo Wessexiae regnum ab Ina ejusque successoribus auctum cum Mercia de imperio contendit, Northumbriis inter civiles discordias et bella cum Merciis gesta, ad interitum vergentibus. Caetera regna, aut habitantium numero, aut finium circumscriptione minora, modo his, modo illis parebant. Ita, cum in Merciorum Regno AETHELIBALDO (A. 716—755) successerat OFFA (A. 757—796), mirum in modum illud extensum est ac praecipuae Angliae parti Rex imperabat (1).

Tanto Rege dignus successor KENEWULFUS (CENWULF) eandem semper viam tenuit, occidentalium Saxonum potestate Brithrico Rege, imbecillo homine, paululum minuta. Sed Brithrici infirmitatem compensavit qui eum in regno secutus est, olim ab eo fugatus EGBERTUS. Hunc e Britannia advenam bellicam artem et

tici *curtillum* debet esse clausum aestate simul et hieme." Curtillum est domus rusticana, cui adjunctus est hortus. DU CANGE, GLOSS. in V.

(1) 23 Comitatibus (*Shire's*). PHILLIPS, n. 108. De Aethelibaldi regno testatur BEDA, Lib. V, 24. » Et hae omnes provinciae, caeteraeque australes ad confinium usque Humbrae fluminis, cum suis quoque Regibus, Merciorum Regi Aethelibaldo subjectae sunt."

civilem prudentiam docuerat CAROLUS MAGNUS (1). In patriam redux cum venisset, hic tandem EGBERTUS, pluribus Regnis devictis, paucorum annorum intervallo, Mercios simul subegit, eorumque Regem, antiquam majorum nec fortitudinem neque animi virtutes referentem, in fidem tributariam accepit. Quod factum videntes Northumbrii ac timentes, ne EGBERTUS Rex « diu conceptam iram in ipsos effunderet, tandem vel sero datis obsidibus faverunt deditioni;" iisdemque fere, quibus Mercii conditionibus, uni omnium potentissimo subjecti sunt (A. 827.).

Haec fere Anglo-Saxonum, sub Heptarchia viventium, fata fuere. Diuturnum primum adversus Britones bellum, mutuae deinde inter diversa Saxonum regna ortae contentiones, quae iterum bellis, continuo prope gestis, decernebantur; parvus qui, illa praesertim obscura tempestate, intercedere poterat cum singulis istis regnis nexus aut negotiatorum conventus, ferociam Populi alebant, (2) prohi-

(1) GAILLARD, Hist. de Charlemagne, T. III. 337. MILLEVOYE, Charlem. à Pavie, Chant. V et Oeuvres, T. III. 100. HUME, I. 64. RAPIN-THOYRAS, I. 212. — *Oberto* apud Ariostum, Orl. Furioso, c. XI. St. 62. Vocatur vero *Re d'Ibernia* St. 59.

(2) Illorum temporum barbaries manifesta est in Lege Inae 11. » Si quis proprium suum ho-

bebant connubia familiarumque conjunctiones, atque igitur impedimento erant, quo minus bonorum Regum ad excolendos rudiorum hominum animos et ingenia emollienda, laudabiles conatus felici eventu gauderent. Sed, quae in illis reprehendenda est ferocia, libertatis etiam vigorem nutriebat in Saxonum pectore; non quidem ejus libertatis quam ipsis invideamus, quaeque esset « facultas ejus quod cuique facere libet, nisi quid vi, aut jure prohibe-

minem vendiderit servum, vel *liberum, quia ei debet, et trans mare miserit*, compenset eum, secundum ejus weram et apud Deum sufficienter componat." (Aliter hanc legem interpretatur WILKINS; secutus sum PHILLIPS, n. 422.) — Britonum et Anglorum venditorum alia exempla v. ap. BEDAM, II. 1., HUME, SCHLOSSER, Weltgesch. (» Vos estis Angeli," verba Pontif. Max. notissima). HENRY, Hist. of Gr. Brit. I, 312, 386. MEERMAN, Aanmerk. op het Parallel. van H. DE GROOT, I. 409. Recentioris adeo aetatis (A. 1102) exempla adfert HALLAM, l'Eur. IV, 156. De Verdunensium mancipiorum christianorum commercio cf. LIUTPRAND. L. VI. c. 3. DE GUIGNES, Mém. de l'Acad. des Inscript. T. XXXVII. p. 485. — Egregie usus est historia commercii istius, quod antiquitus obtinuerat, vendendorum Britonum, ut legem de abroganda Afrorum servitute perferret, magnus PITT. VILLEMAIN, Cours de Litt. Franç. 3e Part. Leçons 13—19 *de Anglorum eloquentia*.

tur," (1) vim vi repellebant, neque, ut videtur, jus constitutum ita stricte ac religiose observabant. Non erat illa libertas, illa quam nunc in Anglis maxime suspicimus, persuasio, omnibus insita, de securitate quae legibus unicuique confirmata sit, quam *veram libertatem civilem* vocamus; erat licentia potius, erat Anglo-Saxonibus innata quasi superbia et animi cogitatio, liberum hominem nullam jurium suorum restrictionem pati debere. Qui vero libertatis sensus, postea magis excultus, multum valuit ad immunitates Anglorum constituendas, quae hodie eorum sunt gloria et quarum ardent amore.

Ex institutis Germanicis, quicunque liber homo, instante hoste, pro patriae defensione ad arma vocabatur, congruens liberi hominis dignitati officium (*trinoda necessitas, landweer*). (2). Ex eadem caussa omnem liber-

(1) Instit. I. § 3. — Ciceroni est » potestas vivendi uti velis." (Parad. V, 1. de Offic. I. 20.) » Nimia autem ne sit libertas." (De Republ. I. 44, II. 28.) Henr. reiger, Comment. ad Quaest. » Quaenam fuerunt ciceronis placita de Origine, Felicitate et Proposito Civitatis," praemio ornata. Annal. Acad. Rheno-Traject. 1826—1827. — Montesquieu, Espr. d. L., L. XI. Ch. 3, 5 et 6. Henrion de pansey, de l'Autor. Jud. Ch. XXX.

(2) Hallam, Hist. Const. d'Angl. II. 408. Nyhoff, Gedenkw. bl. LXXXIX.

um hominem mallis publicis, sive generalibus Populi conventibus interesse decebat: « de minoribus enim rebus principes consultabant, de majoribus omnes (1).” Ibi de novis legibus ad civitatis commodum promovendum ferendis deliberabatur, sive de abrogandis illis quarum utilitas non amplius appareret, vel quae Rei publicae perniciosae fuissent; ibi vel bellum decernebatur, vel de pace componenda agebatur. Sed feudali regimine orto, ad Nobiles et Ecclesiasticos mox unice restrictum est jus participandi publicis conventibus, et evanuerunt

(1) Tacitus, Germania, c. 11. Georg. christ. Gebauer, Vestigia Juris Germ. antiquiss. in c. cornelii taciti Germania obvia, Goetting. 1766. Blackst., Comment. B. I. Ch. 2. *of the Parliament.* Capit. VII. 96. (ed. pithoei). » Ut ad mallum venire nemo tardet, unum circa aestatem, et alterum circa autumnum; ad aliud vero si necessitas fuerit, vel si denunciatio Regis urgeat, vocatus venire, nemo tardet.” Cf. quoque Capit. A. 803 a. 33. Meyer, Inst. Jud. I. 47. Maxime Capit. T. I. p. 391 A. 803. » Haec facta capitula sunt et consignata stephano Comiti, ut haec manifesta faceret in civitate Parisiis mallo publico, et illa lege faceret coram Scabineis. Quod ita et fecit. Et omnes in uno consenserunt, quod ipsi voluissent omni tempore observare usque in posterum. Etiam omnes Scabinei, Episcopi, Abbates, Comites manu propria subter signaverunt.” Mém. de l’Acad. d. Inscr. T. XVII. p. 29.

paullatim libertatis Germanicae vestigia. In ipsa tamen Francia medio adhuc saeculo nono illud agnosci videmus, ac fatetur Carolus Calvus, « legem consensu Populi et constitutione Regis fieri." (1)

Hoc itaque institutum ad Anglo-Saxones quoque pertinebat. Ante eorum in Britanniam adventum in multos pagos divisi, quibus cum extraordinarium quid accidisset, praeerat unus ab omnibus electus, ad conventus populares convocabantur, (folc-gemote), ubi et jus reddebatur (2).

Deinde in Britanniam delati utrum ipsi Saxones praefectos eos eligere desierint, nec ne, quaeritur; in majoribus tamen Pagis a Rege temporum lapsu constitutos esse patet, cujus nomine pacem tuerentur. Ad imitationem ejus, quod olim fieri solebat, qui pluribus imperabat *sciris* (comitatibus,) Aldermannus, (Ealdorman, Comes, Dux,) expeditionibus simul militaribus praepositus erat, pro parte nimirum exercitus, quam ejus Comitatuum liberi homines efficiebant (3).

Illa quidem pagorum malla (populares con-

(1) Capit. CAROLI CALVI, A. 864, art. 6.

(2) L. Inae 20. PHILLIPS, n. 254. § XXIV, n. 32.

(3) PHILLIPS, § XXVII, HALLAM, Hist. Const. II. 408.

ventus), nova hujusmodi civitatis informatione non tollebantur; verum, auctis regnis, non amplius sine privatae ac rei familiaris damno cuncti ad *generale* totius gentis Placitum confluere poterant, longius a Regis praesentia remoto intervallo exclusi. Accedebat, procedente aetate, difficillima de publicis negotiis deliberatio; horum enim ambitus in dies extendebatur, neque illis sufficiebant homines nulla fere ingenii cultura praediti. Qui vero Regem circumdabant Nobiles, aut longa experientia rerum edocti Sapientes, Aldermanni etiam provinciarum, de omnibus quae majoris momenti viderentur, consulebantur, immo consuli debebant (1). Non minores in his Optimatum conciliis partes agebant Sacerdotes Christiani, Episcopi ac

(1) Phillips, n, 234. Charta Inae Regis, in Monast. Anglic. I. 13. » Pro ampliori firmitatis testamento Principes et Senatores, Judices et Patricios subscribere fecimus." Du cange v. *Patricii.* In Epistolis Principum, quibus immunitates vel dona confirmabantur, aut mandata communicabantur, plerumque post Principum nomina, legebantur et Consiliariorum. Hi Nobiles in primis erant. Saeculo quoque XIV nostra in patria urbium testimonia in veritatis significationem adhibebantur. De jonge, Hoeksche en Kabelj. Twist, bl. 164. Bijlage, III. 289. Citatus ab eo philippus a Leydis p. 22. Meerman, Koning willem I., 12, 20, 23. Nyhoff, Gedenkw. Oork. bl. 185, 268, 347.

postea etiam Abbates, illam qua vates pagani antiquitus fructi fuerant, auctoritatem nacti. Talia primorum et *sapientum* placita, in quibus non exiguus hominum numerus conspiciebatur, *witenagemote* appellabantur, s. *sapientum conventus* (1). In his, quae supra conventuum Germanorum, a Tacito memoratorum, argumenta retulimus, illorum virorum consilio tractari oportebat. Vidimus AETHELBERTUM, Cantii Regem, suis civibus leges constituisse; non solus autem constituit, fecit cum *consilio sapientum* (2). Vidimus et INAM, Wessexiae Regem, tulisse leges; at tulit, *cum consilio et doctrina Cenredi patris sui et Heddae Episcopi et Ercenwoldi Episcopi et cum omnibus Aldermannis suis et senioribus sapientibus Populi sui.* (« and mid eallum minum ealdormannum and tham yldestan witum minre theode ") (3). Vidimus et Populi electione, quamquam deinde aliquantulum limitata, rerum summa Reges potitos fuisse, et memorabile auctoritatis sapientum documentum

(1) BLACKST., Comment. T. I. p. 161. Invenitur Excursus de Witena-gemotis ap. RAPIN, Hist. d'Angl. I. 489—506. (Edit. 4°. Amstelod. 1727). BLACKST. T. III. p. 33.

(2) BEDA, II, 5. PHILLIPS. n. 208.

(3) Inae Legg. Prolog. PHILLIPS, n. 217. RAPIN, T. I. p. 491.

est in Edwini Northumbriae Regis, ejusque Populi, ad Christianam fidem conversione (1). Quae res longius, quam ut ipsa ejus verba hic afferam, narratur apud BEDAM, II, 9—14, (2).

Similiter *cum sapientibus* jus reddebat Rex, supremus in Regno Iudex. Ad hunc veniri non poterat, nisi in inferioribus judiciis justitia denegata; mitigabat et Rex severiores poenas. Haec tamen sunt posterioris aetatis, cum magna incrementa Regia potestas cepisset (3).

(1) Quinetiam A. 754 ab Optimatibus et a Populo universe depositus est SIGEBERTUS, Wessexiae Rex. De quo HENR. HUNTINGDON. ap. RAPIN, ibid. 496; item, p. 211.

(2) PHILLIPS, n. 284. „Cum suis primatibus (ealdormannum) quos sapientiores noverat, curavit conferre, quid de iis agendum arbitrarentur; — verum adhuc cum amicis principalibus et consiliariis (witum) suis sese de hoc collaturum esse dicebat."

(3) PHILLIPS, n. 493 et 496. — Cf. de jure illo Regum, (regt van gratie) BENTHAM, Princ. du Code Pén., 3e Part. Ch. 10. JUNIUS, Lett. VIII et XXXIX. — De Hooge Raad van Nederland, (17 Aug. 1830) Aant. bl. 15. Alph. de Candolle, Dissert. sur le droit de grâce, 1829, Genève et Paris. Globe, T. VII, N°. 92. — *Noli prosequi*, HALLAM, Hist. Const. III, 360 sqq. *Declaratio indulgentiae* CAROLI II. A. 1672. Caussa Lord DANBY, HALLAM, ibid. IV, 32, 86, 129. DELOLME, The Constit. of England, Book I Ch. 8.

Quoniam de Episcopis aliisque sacerdotibus modo locutus sum, quaedam de Anglo-Saxonicae Ecclesiae conditione adjungere hisce lubet. Britones, sicuti dictum, licet Christiani, non parebant Ecclesiae Romanae; longe aliud quid in Anglo-Saxonibus spectamus. Cum enim ad hos fides Christiana perveniret, creverat jam Pontificis Max. imperium, et ea erat gentis totius ignorantia, ut, ope praesertim Regum, legatis Papae facillimum esset, hujus famam apud barbaros propagandi (1). Primus GREGORII legatus, AUGUSTINUS, Cantuariensis sedis Archiepiscopus factus est; cui alios etiam episcopos ordinandi licentia data. Eboraci item Archiepiscopalis sedes constituebatur, et saeculo VII. exeunte, in omnibus regnis Anglo-Saxonicis doctrina Christiana florebat. Erant Archiepiscopi Cantuarienses *totius Britanniae Metropolitani*, qui Romae pallium, subjectionis signum, accipiebant (2). Episcopi eligebantur a dioeceseos clero, vel, ut alii perhibent, in publicis placitis, *Witenagemotis*; Abbates ve-

(1) Papae et AUGUSTINI fraudes notat HUME, l. c. Idem GREGORIUS Mg. monstro isti foeminae, Reginae BRUNICHILDI, (BRUNEHILDE, BRUNEHAUT) impudentissime adulari non veritus est.

(2) PHILLIPS, n. 77, 78, § LX n. 545 sqq., § LXIV, HALLAM, l'Europe, III. 357, THIERRY, Conq. II. 142.

ro a monarchis. Juris Ecclesiastici fontes usurpabantur S. Scriptura, traditiones ecclesiasticae, Concilia Oecumenica, decreta in conciliis publicis atque synodis sancita, canones, decretales (1). Synodorum illarum decreta Regum consensu indigebant, et ipsorum Sapientum aut Nobilium Regni testimonio interdum firmari debebant; quae tamen Synodi, si tale quid adjiceretur, ad Placitorum generalium magis naturam accessisse credendae sunt (2). Tale fuisse Concilium Calchut. A. 785, de quo obiter quaedam communicavimus, probabile videtur, ubi ab altera parte Regem cum principibus in Regno Viris, ab altera Archiepiscopum et caeteros Episcopos animadvertimus. Si in qualibet provincia quaestiones orirentur, ad majorem sedem, vel Synodum referebantur; hinc etiam « *ad apostolicam Sedem Romae* " (3).

(1) De falsis decretalibus v. EICHHORN, Deutsche Staats- u. Rechtsg. I. 340—345, Essai hist. sur la puiss. tempor. des Papes, p. 34. Rome et ses Papes, par F. G., Paris 1829. WALTER, Kirchenrecht.

(2) PHILLIPS, § LXII. HALLAM, ibid. III, 312. PHILLIPS, n. 234.

(3) EGB. Excerpt. 49 (Can. Rom.) PHILLIPS, n. 552. Verumtamen, Bonifacii Archiepiscopi Moguntini aetate, Ecclesiae Anglo-Saxonum subjectio Pontifici Max. nondum ita magna fuisse Hallamio videtur, ibid. III. 332. In Francia a

Ex jure Canonico ante 25 aetatis annum nec diaconus ordinabatur, nec virgines consecrari poterant; neque ordinabatur presbyter ante trigesimum annum, *nisi rationabili caussa cogente.* Frustra conabantur Pontifices Romani presbyteros coelibatui adstringere, qui « et ebrietatis malo nimis adsueti erant," (1) ut eos vituperet, adeoque ipsos Episcopos, BONIFACIUS, meritissimus ille Germanorum Apostolus. Hic pariter velatas foeminas reprehendit, iter Romam facientes, specie pietatis. « Perpaucae sunt civitates, scribit vir sanctissimus, in Longobardia vel in Francia, in quibus non sit adultera vel meretrix generis Anglorum, quod scandalum est et turpitudo totius Ecclesiae vestrae" (2). Neque vero omnia in illa pes-

metropolitanis non ad Papam, sed ad Carolum Magnum appellabatur. Capit. A. 794. c. 4. MOSHEIM, Kerk. Gesch. III. 136.

(1) PHILLIPS, n. 573, n. 623 § LXVI. Et venationi dediti. — Epistola ad Cuthb. Archiep. Cantuar. A. 745. (WILKINS, p. 90 sq.) Ejusmodi Cleri vitia in Capitular. Reg. Francorum centies notantur, nec minus in Concil. Francicis. Concil. Cabill. c. 9 A. 813, Concil. II Remense ej. anni 2 cap. 17. Concil. Turon. 3. can. 8 ej. anni.

(2) Alia istarum pereginationum incommoda et abusus v. apud FLEURY, Moeurs des Chrétiens, p. 226. — Cf. tamen memorandum facinus virginum Anglo-Saxonicarum in Monasterio CODDINGHAMI editum, ap. SÉGUR, les Femmes, I. 149.

sumdabantur; habebat et bona Ecclesiae status. Ita jubebantur Presbyteri patria lingua uti in concionibus ad Populum habendis, (1) immo et ipsa « sacrosancta verba" ita exponere, ut quisque auditorum ea intelligeret. Magni ponderis haec res erat, cum ad rudem Anglo-

(1) Concil. CLOVESH. A. 747. X. » Ut presbyteri omne sui gradus officium legitimo ritu per omnia discant exhibere posse; deinde, ut symbolum fidei ac dominicam orationem, sed et sacrosancta quoque verba, quae in missae celebratione, et officio baptismi solenniter dicuntur, interpretari atque exponere posse *propria lingua* qui nesciant, discant; nec non et ipsa sacramenta, quae in missa ac baptismate, vel in aliis ecclesiasticis officiis visibiliter conficiuntur, quid spiritualiter significent, ediscere studeant, etc." PHILLIPS, n. 604, § LXV. — Ita Canone 17 Conc. tertii Turon. A. 813 Episcopis praecipitur, ut quasdam S. S. Patrum orationes laicis recitent, et » ut easdem homelias quisque aperte transferre studeat in *rusticam romanam* linguam et *theotiscam*, quo facilius cuncti possint intelligere quae dicuntur." DUCLOS, Second Mémoire sur l'origine et les révolut. de la langue Française, (Mém. de l'Acad. d. Inscr. T. XVII. 173.) BONAMY, Diss. sur les causes de la cessation de la langue Tudesque en France etc. Mém. de l'Ac. d. Inscr. T. XXIV. 659. — J. D. MEYER, Mém. sur l'origine de la différ. relat. à l'usage de la lang. flamande ou Wallonne dans les Pays-Bas. — Capit. A. 813. c. 14. GUIZOT, Cours d'Hist. T. II. p. 258.

Saxonum sermonem emendandum, tum ad superstitiones discutiendas, quae in aliis regionibus majorem etiam in modum, quam in Anglia, mentem humanam caligine obtexerunt. Supra et leges lingua Anglica in ordinem digestas fuisse animadvertimus, ita ut duplici ratione, et legum, et religionis auxilio, adjutus linguae usus amorem patriae in Anglorum animis alere debuerit. — Et, quamquam universe in ipsa adeo Ecclesia Anglo-Saxonum magna Sacerdotum inscitia praevaleret, occurrunt nobis nonnulli Viri eximii, moribus ac literarum disciplinis eruditi, BEDA, WINFRIDUS S. BONIFACIUS, ALCUINUS, alii, quorum posteriorum magna non in Angliam solam, sed in omnem Europam merita fuere. At hi rari nantes in gurgite vasto. — Monasteriorum vero cura et inspectio Episcopis tributae erant, quae debita illis observantia Monachos et Abbates angebat. Confirmabant et Episcopi Abbatum electionem; de fide, de moribus, de litterarum doctrina atque scientia inquirebant; in quod consilium singulis Episcopis suae partes adscriptae erant, suae parochiae (1).

(1) HALLAM, l'Eur. au M. A. III. 338. PHILLIPS, n. 580. HEEREN, Gesch. d. cl. Litt. I, 123 et 134 etc..

SECTIO QUARTA.

HEPTARCHIA SUBLATA. OCCIDENTALIUM SAXONUM REGNUM, FERE SOLUM SUPERSTES, ANGLIAE MAXIMAM PARTEM COMPLECTITUR.

Ab A. P. Chr. 827—1066.

EGBERTUS. — AETHELWULFUS EGBERTO succedit (A. 838). Danorum, aliorumque piratarum irruptiones saepius repetitae. Rex Sacerdotum consiliis, SWITHUNI et ALSTANI, ductus (1). Tributum Sancto PETRO, s. potius Pontifici Max. oblatum (2). AETHELBALDUM inter et AETHELWULFUM patrem contentiones; filio cessit Rex. A. 857 mors AETHELWULFI. Northumbria, orientalium Anglorum et Merciorum regna a DANIS subacta. AETHELREDUS, AETHELWULFI filius, regnat ab A. 866—871. Proelia cum DANIS commissa. ALFREDUS MAGNUS, fratris liberis praetermissis, Rex creatur

(1) Cum hujus miseri Regis historia cf. Ludovici Pii vita, — cujus fata copiose inter alios enarravit HEINECCIUS, Vita LUDOVICI GERMANICI, Oper. T. VII.

(2) GUIL. MALMESB., II, 2 p. 37.

ad restituendam patriam A. 871. (1). Multas calamitates diu passus tandem DANOS profligat A. 878. Foedus cum GUTHRUNO, DANORUM Rege, ictum. Regna orient. Anglorum et Northumbriae GUTHRUNO, sub conditionibus, concessa. — Classes satis magnas aedificat ALFREDUS ad reprimendos hostes. Castella. — Ejus in Cleri maxime ingeniis excolendis atque doctrina instruendis merita. GUIL. MALMESBUR. II, 45. « Quia nullus *in suo regno* literarum erat peritus, vocavit *ex Mercia* Wicciorum episcopum Werefrithum." ALFREDI Germania. (2) Scholae Oxoniensis initia. ALFREDUS « legum Anglicanarum conditor," aliis « legum restitutor" dictus. *Leges* ALFREDI (3). *Comitatus* s. scirae, *centuriae* (hundreds), *decuriae* (tythings); quae Angliae descriptio AL-

(1) Vita ALFREDI auct. Asserio, SPELMAN, STOLBERG, Leben AELFR. D. GROSS.; N. G. VAN KAMPEN, over ALFRED DEN GROOTEN, Koning van Engeland, als voorbeeld van een volmaakt Regent en Groot Man. Magazijn voor Wetensch., Kunsten en Letter. V. D. 1e. Stuk, HUME. VOLTAIRE, Essai sur les Moeurs, Ch. 26.

(2) FORSTER, Hist. des Découv. et des voyages faits dans le Nord, Paris, 1788. VAN KAMPEN, l. c. bl. 68. — WENDEBORN, Staat van Groot Brit. IV. Deel (over Kunsten en Wetensch.) HALLAM, l'Eur. IV. 109, 338.

(3) PHILLIPS, n. 219, § XII. n. 143. — Immunitas domus poena sancita, ibid. n. 502.

FREDO apud Ingulfum adscribitur. FLETA, L. II. c. 52. §. 2. Liber Mirror, cap. I. sect. 2. « Le Roy ALFRED fit assembler les counties — et ordeina pur usage perpetual que deus foits per an, ou plus souvent, pur mister in temps de peace, se assembleront à Londres à parlementer sur le guidament del people de Dieu, et coment soy garderont de pecher, viveront en quiet, et receiveront droit per usages et saints judgemens." DUCANGE, Gloss. v. *Parlamentum*. Conventus juridici comitatuum habiti de mense in mensem. Communis sponsio in securitatem decuriarum. (*freoborg*, *frank-pledge*; *Gesammtbuergschaft*.) Leg. EDOW. Conf. 20. « Praeterea est quaedam summa et maxima securitas, per quam omnes statu firmissimo sustinentur, videlicet, ut unusquisque stabiliat se sub fidejussionis securitate, quam Angli vocant *freoborges* (tien manna tala). Haec securitas hoc modo fiebat, quod de omnibus villis totius regni sub decennali fidejussione debebant esse universi: Ita, quod si unus ex decem forisfecerit, novem ad rectum eum haberent" etc. (1). Judicii jurator-

(1) PHILLIPS, n. 304. § XXXI, HALLAM, l'Eur. T. II. Ch. 1. BLACKST. Introd. Sect. IV, 2. *Court-leet* s. *view of frankpledge* etiamnum exstat, sed nomine tantum. CUSTANCE, Tableau, p. 365. BENTHAM, Panoptique, 2e Partie, *des châti-*

um origo. PHILLIPS vero §. LIX. hoc institutum Anglo-Saxonibus ante Normannorum adventum cognitum fuisse, negat. ALFREDUM generaliter omnium fere eximiorum institutorum auctorem perhibent Angli, quod ei cum aliis summis Viris, ac praeclare de patria meritis, commune est. — Ea autem quae in re judiciaria ab ipso inventa dicunt, justius fortasse mutata et emendata ab ALFREDO vocanda sunt; Germanicae enim originis esse, ex comparatione cum aliarum gentium Germanicarum indole et institutis facta, apparet (1).

Anno 901 mortuum ALFREDUM excipit EDUARDUS *Priscus*, (2) filius; hunc ATHELSTANUS (A. 924—940), quorum in subigendis DANIS, orientalium Anglorum et Northumbriae

ments. BLACKSTONE, IV, 33. SCHMALZ, Staatsverf. Gr. Brit. s. 7. WENDEBORN, l. l. II. 15 sqq. ROBERTSON, History of Scotland, Book I. p. 12. ROBERTSON's Works, Vol. I, London 1828, university edition.

(1) Egregie ROSSI, Traité de droit Pénal, Ch. II. » On n'a pas assez remarqué, qu'entre autres avantages, le jury a celui d'être jusqu'à un certain point, *l'histoire vivante du droit pénal.*" De historia judicii juratorum cf. Cl. COCK, Disput. Acad. Leidae, 1820.

(2) Legg. EDUARDI PRISCI, c. 11. » Praepositus, (Sheriff) ad quartam circiter septimanam frequentem Populi concionem celebrato: cuique jus dicito, litesque singulas dirimito." BLACKSTONE, T. III. p. 32.

regna incolentibus, fama illustris fuit. Burgi multi eriguntur, futura oppida; origo Scholae Cantabrigiensis. EDMUNDUS A. 940—946; EDRED A. 946—955. His regnantibus, Northumbria aliquando seditionibus agitabatur. Quos parvo temporis intervallo secuti sunt EDWIUS et EDGARUS; ille, superbis clericis nimium obtemperans, hic, eorum auctoritate usus, Regiam potestatem stabilivit, quamquam et ipse non semper satis prudenter sacerdotibus indulgeret. — Odo, Archiepiscopus Cantuariensis, Dunstanus Abbas. Horrenda de istis hominibus narrantur (1). Coelibatui Presbyterorum favebat Edgarus, et, annitente Dunstano, vexabat interdum illos qui uxores duxerant. Caeterum, hoc Rege multum Anglia floruit; mortuo vero, nondum hic maturus regionis flos, aut non satis firmatus, evanuit, quippe qui uni Edgaro originem debuerat, eoque sublato, una simul tollebatur. Post Edgari mortem novercae crimine caesus est EDUARDUS alter, et imperium adeptus est Edgari ex secundis nuptiis susceptus filius, AETHELREDUS II. circa A. 978. — Hic, « consulere cum perfidis proditoribus, qui eum blanditer decipiebant, mallens, quam cum proceribus et fidelibus regni," misere reg-

(1) PHILLIPS, n. 161. HALLAM, l'Eur. T. III. 321.

navit (1). Inde DANIS, ut AETHELWULFI aetate, crebro Angliam invadentibus resistere non poterat; Archiepiscopo Siricio auctore A. 991 institutum primum *Danegeldum* s. tributum, DANIS solvendum, ut hostilibus adgressionibus finem imponerent. Avidi vero DANI ejus contrarium fecerunt; nova, eademque majora, tributa soluta (2). DANI, qui Angliae partem abhinc longo temporis intervallo habitabant, jussu crudelis et simul imbellis, Regis caesi. (A. 1002). — Hinc repetitae DANORUM incursiones; tandem SUENO, DANORUM Rex, majorem occupat insulae partem; ad Normannorum Ducem, socerum, fugit Aethelredus; mox, Suenone mortuo, in Angliam revertitur; ibi paullo post abreptus est morbo.

Suenoni filius CNUTUS succedit; a Londinensibus tamen, Patriae suae amantissimis, (3) Rex creatur AETHELREDIS filius natu maximus, spurius, EDMUNDUS *ferreum latus*, (Ironside A. 1016). — Regnum inter duos competitores divisum. Interficitur autem EDMUNDUS et omnem regionem CNUTUS adipiscitur: (4) e stir-

(1) PHILLIPS n. 174. THOM. RUDBORNE (Anglia Sacra, T. I. p. 225).

(2) De DANEGELDI solvendi ratione cf. Leg. EDOW. Conf. 15. PHILLIPS, n. 288.

(3) HALLAM, l'Eur. II. 170.

(4) PHILLIPS, § XV et XVI.

pe Regia Anglo-Saxonum oriundi Principes per Normanniam et Hungariam exsules vagantur. — Ordinem in civitate turbatum Cnutns restituit; prudenter gubernat, AETHELREDIS viduam, Emmam Reginam, uxorem ducit, Anglo-Saxonum leges observat. — GUIL. MALMESB. II, 11, p. 75. « Omnes enim leges ab antiquis Regibus et maxime ab antecessore suo, ETHELREDO, latas sub interminatione regiae mulctae perpetuis temporibus observari praecepit." Obiit A. 1035. — Filios CNUTI, Patri in regno successores, HARALDUM HAREFOOT et HARDICANUTUM, (A. 1042) non est quod moremur. — DANI in fugam convertuntur (1).

Jam peregrinam dominationem sequitur rursus Regis Anglo-Saxonici imperium; AETHELREDIS scilicet filius, EDUARDUS Confessor, e Normannia arcessitur, et eligitur qui Anglos regat, iis quas supra memoravimus, conditionibus (2). At, his non obstantibus, Normannos nimis Rex diligebat et Saxonibus anteponebat, ipse Anglorum mores respuens. Deinde etiam ambitioso homini, GODWINO, Wessexiae Duci, cujus filiam in matrimonio habebat, valde morem gerebat, aliquando vero eum persequebatur. Seditionibus talis gubernandi perversa ratio originem praebere debuit, uti re

(1) THIERRY, I. 207.
(2) THIERRY, I. 242, HENR. HUNTINGD. p. 365.

vera saepius exoriebantur, neque compositae sunt, nisi aliquoties Regia dignitate contemta et minuta. — Nimiae denique pietati deditus, A. 1066 exstinctus est; in omnium ejus successoris, HAROLDI, exspectatione. — Breve hujus regnum fuit; Normannorum Dux enim, GUILIELMUS, cum illo de principatu contendit, jura in Regnum sibi esse, propter cognationem quae intercessisset cum EDUARDO Confessore, allegans; et vicit GUILIELMUS, HAROLDO occiso in Hastingensi pugna.

In illa periodo, inde ab ALFREDO Mg. usque ad Normannorum usurpationem, Reipublicae status multis rerum conversionibus turbatus est, maxime interregno DANORUM. Exculta sunt nihilominus quaedam Populi instituta; forma judiciorum hundredi et comitatus, mallorum convocationes rite legibus statutae sunt, *Burgimoti*, *Halimoti* cet (1). Dictu incredibile est, quantum Anglo-Saxonibus odium fuerit in DANORUM tyrannidem, quamvis non adeo saevam, sed potius caute temperatam. — Ipsa Regum Anglorum potestas sensim aucta est, Edgaro inprimis regnante, licet de absoluto imperio inter Anglo-Saxones, homines liberos, nul-

(1) *Wapentachia* apud Danos Anglicos idem quod *Comitatus* s. *hundredi*. Legg. EDW. Conf. c. 32. ROGER. HOVED. p. 607. Legg. AETHELR. p. 117. PHILLIPS, n. 470. Legg. EDOW. Conf. 35. Ducange, Gloss. v. *Wapentachia*.

la mentio fieri potuerit, in quibus antiquarum legum ac consuetudinum memoria semper vigebat. Quae caussa erat, ut nec, cum ab avorum virtutibus degeneravissent, illarum obliviscerentur, et DANORUM dominationi subjecti, iterata vice, AETHELREDIS legum postularent restitutionem; (1) hoc autem erat, rogare earum rerum abrogationem quae novus reipublicae ordo constituisset. Quis est qui hic non videat germen tenacitatis celebratae Anglorum, qua ad studium conservandorum veterum institutorum ducuntur?

Personarum apud Anglo-Saxones diversus status erat, varia conditio. Distinguuntur nobiles, liberi homines, servi; eorum vero etiam novae cernuntur classes. Erant majoris et minoris generis Optimates; prioris, Comites (eorls aethel etc.,) posterioris, Thaini Regii; infimi erant, qui simpliciter thaini (thegns) vocaban-

(1) THIERRY, Conq. II. 164, I. 210. — Legg. EDOW. 35. — » Debent enim Leges, et libertates, et jura, et pacem Regis, et justas consuetudines regni, et antiquas a bonis praedecessoribus approbatas, inviolabiliter, et sine dolo, et sine dilatione, modis omnibus pro posse suo servare." PHILLIPS, n. 258. » De supradictis vero tribus legibus, videlicet Merchenelaga, Westsaxenelaga, et Danelaga, iste Rex EDWARDUS tertius (Confessor) unam legem communem edidit, quae leges EDWARDI usque hodie vocantur." BROMPTON, p. 957. PHILLIPS, n. 301. BLACKST. IV, 33.

tur, (sixhyndesmen) (1). Illorum invicem werigeldus multum differebat, s. mulcta quae ob crimen vel delictum in eorum personam commissum, solvebatur; ita ut pecuniae debitae praesertim definitione, lege statuta, Nobilium dignitatem aestimare possimus. Thaini s. Thani, Regis *ministeriales*, gratuita officia ipsi praestabant, in eo honorem sibi quaerentes, aut re vera possessione terrarum vel temporaria, vel in perpetuum concessa et in haeredes transeunda, Regi obligati (bocland) (2). Inveniebantur Nobiles, qui jurisdictione in dominii sui liberos homines fruerentur; (socamanni) quos judices Regii, caeterique comitatus, hundredri vel decuriae praefecti non attingebant. Liberorum hominum (ceorls) jura erant haec: jus in judicium pagi veniendi, jus armorum ferendorum, jus friburgis participandi, jus faidae. Servos in judicio defendebant. Horum quoque sors licet misera, non adeo abjecta erat, quin ipsorum similiter werigeldi ratio haberetur, ita ut non prorsus rerum loco essent (3). Cnuto relevationes institutae adscribuntur (heriot, heregeata,) (4). Negan-

(1) Phillips, § XXXII.

(2) Hallam, l'Eur. T. II. Ch. 1. Phillips, § XXVI, et n. 383 § XXXVIII.

(3) Phillips, § 34.

(4) Leg. cnuti, II, 69, phillips, n. 316. Hallam, l'Eur. I. 212.

dum non est, versus hujus aetatis finem omnem Nobilium conditionem magis accessisse ad regiminis feudalis formam. — Egregius tamen occurrit hicce mos, Jud. Civ. Lund. App. I. §. 6. « Si mercator eo profecit, ut ter mare suis facultatibus trajiceret, tunc erat exinde Thani jure dignus. » — Episcopi investituris suarum terrarum a Rege magis pendent (1). Universe constitutio Anglo-Saxonum publica, prae reliquis in continenti regnis, simplex erat; quod ex eo explicandum videtur, quod unus tantum Populus insularis Regni corpus efficeret, et ejus initium a parvis modo regnis fundandis duceretur, quibus ordinandis illius Aevi facultas politica rudior apta erat.

SECTIO QUINTA.

A GUILIELMO CONQUAESTORE A. 1066 USQU EAD JANUM SINE TERRA, (MAGNAM CHARTAM) A. 1215. — GUILIELMUS CONQUAESTOR.

Normanni in Anglia, victores in proelio, ad HASTINGS commisso; interficitur HAROLDUS « modico stipatus agmine, quadruplo con-

(1) PHILLIPS, n. 598.

gressus exercitu" (1). Omnes circiter Angli, Cantiis fortasse exceptis, et profugis quibusdam Saxonibus, tum in alias terras, tum vero etiam Constantinopolin profectis, et ab Imperatore ALEXIO Comneno copiis suis Germanicis adlectis, submissi GUILIELMO parent (2). Qui, militibus suis cinctus, Rex accipitur, non omnibus tamen Normannis aeque gratus, auctoritatem nomenque Regium aegre ferentibus. Exuuntur infelices Anglo-Saxones patrimoniis suis, quae a Normannis occupantur. Regimen inde feudale in Anglia obtinet instar ejus, quod in Francia valebat. Pauci Saxones possessiones retinent, nimirum ii fere soli thaini, (thegns) qui patriae amore frigentes adulabantur hostibus; coloni fiunt reliqui advenarum aut servi (*homines*) (3). Omnibus modis vexantur. Inquisitio nomine *anglecherie* cognita (abolita statuto A. 1341. EDUARDO III. Rege); (4) *couvre-feu*, s. *cur-feu*. — Ne ad despera-

(1) THIERRY, I. 304.

(2) THIERRY, II. 5, 401—405. — Βάραγγοι, *Varangi*, *Waerings*, πελεκυφόροι. THIERRY, II. 127. DEPPING, Expéd. Marit. des Normands, II. 340 (Pièc. Justif.) MULLER, Allg. Gesch. XIV. B. K. 18. SÉGUR, Hist. de Russie, I. 323—329, II. 2.

(3) *Terrae vestitae* dicebantur agri cum domibus, hominibus (Saxonibus) et pecoribus. DUCANGE et SPELMAN in Gloss. h. v. THIERRY, II. 303.

(4) THIERRY, II. 295. DELOLME, The Constit. of Engl. B. I Ch. 1.

tionem eos redigat, promittit saepius Saxonibus GUILIELMUS, se illorum leges diligenter velle servare, A. 1067, 1072 etc., quales ab EDUARDO, ultimo Rege, fuerant collectae (1). — « *Ces sont les leis et les coustumes que li reis* WILLIAUME *grantat a tout le peuple de Engleterre, ice les meismes que li reis* EDUARD, *son cosin tint devant lui.*" — « *Ut omnes habeant et teneant legem* EDUARDI *Regis, adauctis iis quae constituimus ad utilitatem Anglorum.*" (2) At non adeo querebantur de amissis patriis legibus, quae proprie non sublatae sunt; Normannorum potius oppressio odiosa iis videbatur, qua antiquae majorum consuetudines vim suam aliquando perdebant. Multa enim localia instituta existere non desinebant; item compositiones pro furtis aut homicidiis inter Anglos perpetratis, si fides habenda legibus sic dictis

(1) THIERRY, II. 49, 163. VISSCHER, Handleiding tot de Gesch. der Nederl. Letterk. I. 49. — MATTH. PARIS, Vitae Abbatum, p. 30. » Ils (Saxones) *requirent* estre gouvernez comme li Rois EDOUARD les avoit gouvernez." Chron. de Norm. Rec. des Histor. de la France, XII. 239.

(2) PHILLIPS, § XX. Notae ad Eadmerum, ed. SELDEN, p. 192. THIERRY, II. 289. *Leges boni Regis Edovardi quas confirmavit Guilielmus.* J. D. MEYER, Nouv. Mém. de l'Acad. Royale de Brux. II. 487.

GUILIELMI Conq., quae apud Ingulfum reperiuntur. — « Electi de singulis Comitatibus 12 Viri sapientiores, quibus jurejurando injunctum erat coram Rege WILLELMO, ut, quoad possent, legum suarum (Saxonicarum) et consuetudinum sancita patefacerent, nil praetermittentes, nil addentes." (1) Jurisdictio universe Normannica erat; in judiciis ipsorum Comitatuum qui Francicam linguam ignorarent, multi judices esse non poterant. (2) Hinc Jurisprudentia legum feudalium formulis, iisque infinitis obnoxia, multis difficultatibus intricata, sensim sensimque excolitur, et fit primarius fons juris communis. (3) — Constan-

(1) THOM. RUDBORNE, Anglia Sacra p. 259, HALLAM, l'Europe II. 149. ROBERTSON, History of the Reign of the Emperor CHARLES V., Proofs and Illustrat. Note 4.

(2) » WILLIELMUS ordinavit, ut linguam saxonicam destrueret, quod nullus in curia Regis placitaret, nisi in Gallico idiomate, et iterum, quod puer quilibet ponendus ad litteras, addisceret Gallicum." ROBERT. HOLKOTH (Saec. XIV.) Mém. de l'Ac. des Inscript. XVII, 180, et Préface du Diction. de la langue Romane.

(3) HALLAM, l'Eur. I. 230.. BLACKST. Comment. II, 3. IV, 33. BENTHAM, Princip. du Code Civ. 1e Part, Ch. 17. 2e Part. Ch. 3. JUNIUS, Letter 41. » The Norman conquest was not complete, until Norman lawyers had introduced their laws, and reduced slavery to a system."

ter autem Saxones linguam patriam retinebant; saeculo adeo duodecimo ad finem vergente, pura adhuc remanebat, vere Germanica; THIERRY, IV. 68. Curia Regis, Optimatum, ad exemplum Curiae Regum Francorum erecta, (1) ubi de capitalibus aliisque Procerum criminibus aut delictis, cognoscebatur et de negotiis, ad civitatem ordinandam pertinentibus, caeterisque rebus publicis, deliberabatur. Ter in anno convenire solebat. Comes Palatinus (Odo, Episcopus Bajocassensis, GUILIELMI frater,) « veluti secundus Rex." ROBERTSON, ib. note 23, Works, Vol. I. p. 407. Orden Vital. IV. 522. DUCANGE, Gloss. *v. Comes Palat.* — Episcopi Saxonici sedibus suis remoti; cedere Normannis coguntur. Ipse WULFSTANUS, ultimus Saxonum Episcopus, A. 1076 in Concilio Normannorum honoribus ac dignitate spoliatur, « quia nescivit Gallicum." (2) LANFRANCUS A. 1071 fit Archiepiscopus Cantuariensis « *Regis et omnium Optimatum* ejus benevola electione;" novum Regiae auctorita-

(1) Appellabatur etiam *Concilium Regium* et *Curia Parium.* HALLAM, l'Eur. I. 288. Idem, Hist. Constit. d'Anglet. I. 71. THIERRY, II. 212. 215. 265. 244. 216.

(2) THIERRY, II. 224. — VILLEMAIN, Cours de Littérat. Franç. 1830. p. 173. (A. 1093.)

tis exemplum, mori usitato repugnans (1). GREGORIUM VII. (HILDEBRANDUM) inter et GUILIELMUM relatio; contentio inter eos de pallio Romae ab Archiepiscopis accipiendo e manu Pontificis Max.; quod, quo minus locum haberet, GUILIELMUS impedire conabatur (2). Episcopalis jurisdictio a saeculari ejus decreto separata. « Ut nullus episcopus vel archidiaconus de legibus episcopalibus amplius in *Hundret* placita teneant, nec causam quae ad regimen animarum pertinet, ad judicium saecularium hominum adducant: sed quicunque secundum episcopales leges, de quacunqne causa vel culpa interpellatus fuerit, ad locum, quem ad hoc Episcopus elegerit, et nominaverit, veniat; ibique de causa sua respondeat; et non secundum hundret, sed secundum canones et episcopales leges, rectum Deo et Episcopo suo faciat." (3) Utebatur nempe Clero GUI-

(1) Order. Vital. p. 519. PHILLIPS, § LXIV. Merita Lanfranci in Jus Romanum. HAUBOLD, Institt. litt. § 20, SAVIGNY, Gesch. d. Roem. Rechts im Mittel. II. 225.

(2) HEEREN, Influence des Crois. p. 87. HALLAM, l'Europe III. 378.

(3) WILKINS, Legg. Anglo-Sax. p. 230. BLACKSTONE, T. III. 58. IV. 33. — » Si aliquis per superbiam elatus ad justitiam episcopalem venire noluerit, vocetur semel, secundo, et tertio; quodsi nec sic ad emendationem venerit, excom-

LIELMUS Rex ad superbos potentium Nobilium suorum animos deprimendos. Monasteriorum tamen ab Episcopali inspectione exemtio ipsi adscribitur, saltem ab eo principium ducere videtur (1). Eodem modo Episcopi et Abbates pro Baroniis terrisque quas tenebant, servitio militari subjecti erant. MATTH. PARIS, ad A. 1070. DUCANGE, Gloss. in Excursu *de hoste et exercitu Episcoporum* (2). Venerant cum Duce in Angliam sexaginta millia militum, quos inter subacta insula ea ratione divisa est, ut 60, 215 militum feuda orirentur, 700 vera majora feuda coronae obtingerent; his denuo vasalli, prae caeteris apud Regem gratia florentes, beabantur. Licet novi illi possessores, in primis Optimates, magnas fortunas adepti fuissent, non tamen Regia potestas, ut in Francia ac Germania, nimis debilitabatur; immo severe jura exercebat GUILIELMUS quae legibus feudalibus ipsi competerent, (3) et

municetur; et, si opus fuerit, ad hoc vindicandum fortitudo et justitia Regis s. vice-comitis adhibeatur." BLACKST. III. 94.

(1) HALLAM, l'Europe III. 338.

(2) Cf. quoque CUSTANCE, Tableau de la Constit. d'Anglet. 53. SCHMALZ, l. c. s. 10.

(3) Leges GUIL. c. 58. » Quod habeant et teneant se semper in armis et equis, ut decet et oportet: et quod semper sint prompti et parati ad servitium suum integrum nobis explen-

male interdum Nobiles habebat. Praeterea, horum terrae saepissime dispersae erant, ita ut pars in hoc Comitatu, pars in illo reperiretur, neque immensa feuda exstare possent, compacta, hinc Regi periculosa. Insuper ab A. 1080—1086 libros censuales confici jussit s. descriptionem Angliae statisticam, (*terrier*, *doomsday-book*, Sax. *domesdaege-boc*; liber ita vocabatur, quia « nulli parcebat sicut nec magnus dies judicii.") (1) Qua notabatur, « quantum terrae quisque Baronum suorum possideret, quot feudatos milites, quot villanos, (Saxones) quot animalia, immo quantum vivae pecuniae — in omni regno." (2) SELDENUS in Praefat. ad Eadmeri Historiam p. 15. « Hic subscribitur inquisitio terrarum — deinde quomodo vocatur mansio, quis tenuit eam tem-

dum et peragendum, cum opus adfuerit, secundum quod debent de feodis et tenementis suis de jure nobis facere." BLACKST., I. 414. HEEREN, Influence des Croisades, p. 40. DELOLME, The Constit. of England, Book I. Ch. 1.

(1) THIERRY, II. 258. DUCANGE, Gloss. — Dicitur etiam *rotulus Wintoniae*. Hist. de MARLBOROUGH, T. III. 160. — Doomsday-book illustrated by ROB. KELHAM, London 1788, 8°. De praecedenti et interrupto editionis hujus operis consilio v. ARCHENHOLTZ, Engeland 1791, I. 98.

(2) Florent. Wigorn. ap. SPELMAN, Gloss. Chron. Sax. GIBSONI, p. 187. Anglia Sacra, p. 257. THIERRY, II. 252.

pore Regis EDWARDI (Confessoris), quis modo tenet, quot hidae, quot carrucatae (tantum terrae, quantum uno aratro coli potest in anno) in dominio, quot hominum, quot villani, quot cottarii, quot servi, quot liberi homines, quot sochemani." DUCANGE, Gloss. v. *cottarii.* « Graves inde sermones habuit cum suis Proceribus Rex de hac terra." (A. 1086), (1) nimirum de ipsa regionis partitione atque exactione tributi. MATTH. PARIS p. 8. « de unoquoque aratro, id est hyda terrae totius Regni sex solidos cepit argenti." Multi onus istud ferre recusabant, quin alii in Scotiam abierunt. Similiter Nobiles a venatione prohibebat, cui ipse valde indulgebat. — *Bosci afforestati*, *forestae*, *ferae bannitae* (2).

Quamquam, imperante GUILIELMO, inauditas omnino calamitates paterentur Angli, ac multarum rerum usus periret, alta mente in illis vivebat Normannorum odium et amor libertatis exstinctae. Multi adeo, libere viventes Saxones, ad sylvarum receptacula venerant eaque habitabant, venantibus Normannis timendi, aut illa loca transeuntibus (3). Ad

(1) Chron. Sax. l. THIERRY, II. 275.

(2) DUCANGE, Gloss. v. *foresta*, ubi historia est legum de hoc argumento severiorum. Idem v. *ferae bannitae*.

(3) *Utlagi* (outlaws), *forbanniti* a *for* s. *fors*

dejiciendum porro jugum a GUILIELMO sibi impositum, Eboracenses cum Edgaro, e stirpe Regia Saxonica oriundo, foedus inierunt; alii infelices conatus, seditiones memorantur. Ultimum Anglorum eandem ob caussam foedus cum DANIS A. 1085 fuit, quod Conquaestor callide antevenit (1). Sunt, qui juratorum judicii hac demum aetate in Anglia vestigia inveniri putent, quod deinde progrediente tempore magis fuerit informatum et invaluerit. (2) Placita comitatuum, aliaque *Gemote* etiamnum supersunt, (3) ut comitatuum statum publicum intactum fere reliquerit GUILIELMUS. Northumbriorum item quidam, gentis indomitae, « ut de diversis injustitiis sibi justitia fieret," a superbis et crudelibus dominis exigere non veriti esse dicuntur (4).

Nexus Normanniam inter et Franciam. — Mercatura. Mors GUILIELMI (5).

(hors) et *bannum* (ap. Francos.) PHILLIPS, n. 256, 445, 505. THIERRY, II. 129, 241, 269. Capit. I. A° 809. c. 2. et Cap. II. art. 3. MEYER, Inst. Judic. I. 49. sq.

(1) THIERRY, II. 280, 284.

(2) PHILLIPS, n. 543.

(3) Eorum saltem aliquoties fit mentio.

(4) MATTH. PARIS p. 7. THIERRY, II. 238.

(5) THIERRY, II. 40. 200.

GUILIELMUS RUFUS (A. 1087.)

Hic, postquam e Normannia in Angliam venit, ibi a Proceribus Rex agnoscitur; « dum caeteri Proceres de regni successione tractant in Normannia." Monast. Angl. II. 890. Qui filium GUILIELMI Conquaestoris natu maximum, ROBERTUM, Normanniae Ducem, Regem eligunt, bellum civile suscitantes. — Rufus, cum in eo esset, ut ad perniciem redactus videretur, vocat ad se nobiliores Anglo-Saxones, quibus, ut eos ad auxilium praestandum moveat, inter alia pollicetur « meliorem legem quam vellent eligere, meliorem quae umquam in hac terra fuit." Annal. WAVERL. p. 136. At, praestito auxilio rebusque compositis, « nihil postmodum tenuit quod promisit." JO. BROMPTON, p. 984. Vexantur in judiciis Saxones; horribilibus suppliciis afficiuntur (1). Nec parcit Rex ferox Normannis suis, neque magis captare studet benevolentiam Papae. (2)

Immanes leges forestales. Illarum exemplum legitur apud Eadmerum, L. II. p. 48, rela-

(1) THIERRY, II. 309, 315, 322, 331, 336.

(2) HEEREN, Influence des Crois, p. 109. HALLAM, l'Europe III. 378.

tum a DUCANGE, Gloss. v. *foresta.* — Adagium paullatim usurpabatur: « Non justum absolute, sed justum secundum legem forestae dicitur.” Dialog. de Scaccario, p. 29. (Exchequer) (1) Mors Rufi.

HENRICUS I. (BEAUCLERC.) A. 1100.

ROBERTUS Normannus, qui in Terram Sanctam abierat, jam jurejurando et foedere antea icto ad fratris successionem vocabatur; (2) sed fraudibus minoris natu HENRICI iterum repulsam tulit, et hic a praesentibus Optimatibus Rex proclamatur, frustra resistente Nobilium parte. Anglo-Saxones ut sibi conciliet, leges EDWARDI confirmat; jura autem forestae vigent et crudeliter in contumaces saevitur. WILLELMUS NEUBRIG. L. I cap. 3 et L. III, c. 26. « in publicis animadversionibus *cervicidas* ab *homicidis* parum discernebat.” DUCANGE, v. *foresta.* (3). — ROBERTO vero in Normanniam profecto, Rex HENRICUS co-

(1) HALLAM, l'Eur. II. 382.
(2) WILKEN, Gesch. d. Kreuzzuege, II. 26. MICHAUD, Hist. des Crois. I. 154. TASSO, Gerusal. Liber. L. I. St. 38.
(3) Leg. HENR. I. c. 17. THIERRY, II. 343.

piarum inops, Rufique exemplum secutus, ad Saxones se convertit, eosque sic alloquitur: « Amici mei et fideles indigenae ac naturales, (ipse enim in Anglia natus erat,) — vos scienter quasi contemptibiles, quos desides vocat et glutones, conculcare desiderat (ROBERTUS). Ego vero, Rex humilis et pacificus — et vestris inclinando consiliis, consultius et mitius gubernare volo. Et super haec (si provideretis), scripta subarata roborare et juramentis confirmare. — Si enim fortitudine Anglorum roborer, inanes Normannorum minas nequaquam censeo formidandas." MATH. PARIS, p. 42. Chartam igitur Saxonibus dedit (1). Carta HENRICI I. in SPELMANNI Cod. Vet. Legg. 305. « Volo et praecipio, ut omnes de comitatu eant ad comitatus et hundreda, sicut fecerunt tempore regis EDWARDI." (2) — Duxit quo-

(1) HALLAM, l'Eur. I. 212. MULLER, Allg. Gesch. XV. B. K. 7.

(2) Leges HENR. I. c. 8. (dubiae auctoritat.) » Generalia comitatuum placita certis locis et vicibus teneantur. Intersint autem *episcopi*, *comites*," (ut olim). — Mox revixit separatio inter saecularia et ecclesiastica placita. Synod. Westm. 3. HENR. I. » ne episcopi saecularium placitorum officium suscipiant." SPELM. Cod. 301. BLACKST. Comment. III. 58. — Legg. HENR. I. c. 31. » Unusquisque per Pares suos judicandus est, et ejusdem provinciae: peregrina vero judicia modis omnibus submovemus." Ibid. c. 7. et c. 57. *de scyremotis*, *bur-*

que MATHILDAM uxorem, quae ex sanguine Regio Anglo Saxonico genita fuerat. Sed, fratre ROBERTO denuo superato, promissa impudenter violavit.

Privilegia tamen, quae dicuntur, civitati Londinensi et ejus burgensibus concessa perhibentur (1). — Origo Communiarum s. Communitatum, — burgorum. De hoc argumento haec in primis opera videantur: DUCANGE, Gloss. v. *communia*; Ordonnances des Rois de France, T. XI. (ad quem praefatus est BRÉQUIGNY); THIERRY, Lettres sur l'Hist. de France, Lettr. 15 suiv; HUELLMANN, Staedtewesen im Mittelalter, Bonn, 1826—1829, 4 Th; HEEREN, Influence des Croisades, p. 233—254; RAYNOUARD, Hist. du Droit Municipal en France etc. 2 Voll. 8°. Paris, 1829; RAEPSAET, Hist. des Etats-Généraux et Provinc. des Gaules, §. 84—149; GUIZOT, Cours d'Hist. Mod. T. 1, 7e. Leçon; LEBER, Hist. crit. du pouvoir municipal, de la condition des cités etc. Paris, 1829, chez AUDOT, 1 Vol. 8°; de BARANTE, des Communes et de l'Aristocratie, Paris, 1829; HENRION DE PANSEY, Compét. des Juges de Paix, Ch. 63, Paris,

gimotis, *hundredis*. DUCANGE, Gloss. v. *Pares* et *Burgemotus*.

(1) A. 1103. HALLAM, l'Eur. I. 352. ROBERTSON, History of Scotland, Book I.

1822, 6e Edit; VAN PRAET, de l'Orig. des Communes Flamandes, Gand, 1829; GODET, Essai sur l'Hist. externe du Droit, Liège, 1830. De Patria nostra, H. DE GROOT, Verantw. Hoofdd. IX; MEERMAN, Aanm. op het Parallel. van H. DE GROOT, II. 153-163; MEERMAN, Gesch. van Kon. WILLEM, I. 16, 27, 137, 141, 289, II. 322; NYHOFF, Gedenkw. uit de Gesch. van Gelderl. p. CII—CXVI, Oorkonden, bl. 137, 139 etc; J. D. MEIJER, Bedenkingen over de Poorterijen, in de Verhand. van de 2e Klasse van het Instituut, 2e Deel; G. K. VAN HOGENDORP, Bijdragen, VIII. Deel, 2e Stuk, *Oogmerk der Grondwet*, bl. 180 enz.

Restitit, eodem circiter tempore, auctoritati Regiae ROBERTUS DE BELESME, unus e potentissimis Nobilibus, Curiae Regis competentiam recusans; inde bellum exarsit (1). Fractus est superbus ROBERTUS, in exsilium missus. Reliqui Optimates, tanti ponderis Viro amisso, labefactati sunt. ORDER. Vit. p. 806. *Scutagii* etiam origo huic regno adnumeratur a Madox, Hist. of Exchequer, (2) s. pecuniae

(1) THIERRY, II. 354.

(2) HALLAM, l'Eur. I. 366. Quod Belg. voc. *heervaart-geld* exprimi potest; *taxe d'escuage*. Notae sunt CAROLI. Mg. de heribanno constitutiones. Posterioris aetatis locum memorabilem ani-

aut tributi, quod, pro servitio militari transmarino evitando, solvi posthac consuevit. — Cum Clero pariter suo certabat HENRICUS; certam ei pecuniam pendendam imposuisse dicitur. Dissentiebant praeterea HENRICUS et PASCHALIS II, Pontif. Max. de *investituris*; prope simili modo, quo ejusdem Papae et superiorum, cum Imperatore HENRICO V. de eadem re contentio sopita fuerat, liti finis impositus est. — Interea multa monasteria conduntur (1).

HENRICI et MATHILDAE filio, GUILIELMO, mortuo, quem futurum patris successorem Optimates acceperant, sola superstes filia MATHILDA, HENRICI V. Imp. vidua, contra fidem datam, insciis illis, uxor facta est A. 1127 GAUFRIDI PLANTAGENETI, Comitis Andegavensium (2). Agnita vero est MATHILDA futura Anglorum Regina, et natus ex ejus et GAUFRIDI matrimonio, HENRICUS, ab avo HENRICO I. Nobilibus ostensus, quem postea Regem haberent. At moritur A. 1135 in Normannia Rex, ac STEPHANUS BLESSENSIS (BLOIS), GUILIELMI Conquaestoris e filia nepos, in regium solium evehitur, Clero praecipue adju-

madvertimus ap. MOESER, Osnabr. Gesch. II. 26; cui vix fidem habeas.

(1) HALLAM, l'Eur. III, 305, 372, 414.

(2) THIERRY, II. 388. HALLAM, l'Eur. I. 224.

vante et Proceribus MATHILDAE iratis (1). Script. rer. Franc. XVI. 392, MATTH. PARIS, p. 51. STEPHANI electio atque coronatio ab INNOCENTIO II. confirmantur. Multae magnaeque immunitates a STEPHANO clero tributae: « episcopis confirmatae Ecclesiasticarum personarum et omnium clericorum, et rerum eorum justitia et potestas, et distributio honorum ecclesiasticorum.” WILKINS Legg. Anglo-Sax. p. 310 (2). Chartae HENRICI I. supra laudatae confirmatio. STEPHANUS Rex ap. DUCANGE, Gloss. v. *Magna Charta* (ubi SPELMANNUS). ” Sciatis me concessisse et praesenti Charta mea confirmasse omnibus Baronibus et hominibus meis de Anglia, omnes libertates et bonas leges, quas HENRICUS Rex avunculus meus eis dedit et concessit: et omnes bonas leges et bonas consuetudines eis concedo, quas habuerunt tempore Regis EDWARDI, cum cautione de his bene observandis.” Ut suorum sectatorum rapacitati satisfiat, Regia domania alienat; Comites a Regia auctoritate liberos declarat; rebellant Anglo-Saxones, qui in Normannornm castellis

(1) « Ego STEPHANUS Dei gratia, assensu cleri et populi, in regem Anglorum electus.” Carta A. D. 1136. BLACKST. I. 211..

(2) HALLAM, l'Eur. III. 426.. BLACKST. T. III. p. 59. CUSTANCE, l. c. p. 303.

munitis incredibilia perpetiuntur; anarchia ubique apparet, ubique ordinis confusio et perturbatio, crimina manent impunita (1). « Erant in Anglia quodammodo tot reges vel potius tyranni, quot domini castellorum." GUILIELM. NEUBRIGENSIS.

Quae rerum humanarum vicissitudo in usurpatorum praesertim historia cernitur, STEPHANUS a Pontifice Max. deseritur, MATHILDA iterum fit Regina, STEPHANUS adeo A. 1141 in vincula conjicitur. In MATHILDAE restauratione primas partes agit episcopus Wintoniensis, superbus homo, qui, ut clerus summam in rebus publicis gerendis auctoritatem obtineat, manibus pedibusque conatur efficere; (2) in turbidis enim temporibus pro ingenio suo, pro sua conditione atque facultate, quisque potestatis aut dignitatis suae ambitum extendere studet. Ita vel ipsi Saxones, burgenses Londini, cum, in compensationem extraordinariorum tributorum, a MATHILDA frustra exegissent, « ut leges eis Regis EDWARDI observare liceret, quia optimae erant; non ve-

(1) THIERRY, II. 396. III. 16, 45—47, Nota I. p. 387. sq. Chron. Sax. p. 239. HALLAM, l'Eur. II. 71. HENRY, T. VII. p. 346. BLACKST. I 271. WALTER SCOTT, Ivanhoe.

(2) GUIL. MALMESB. p. 188. Acta Concil. WINTON. Script. rer. Franc. XIII. 28. HALLAM l'Eur. III. 320. THIERRY, III. 51.

ro patris sui HENRICI, quia graves erant," (1) hoc non impetrantes, eam Londino expulerunt. — Altera vice STEPHANUS Rex accipitur A. 1142. Bellum civile continuo inflammatum, et acerbum geritur. Tandem A. 1153 inter MATHILDAE filium, HENRICUM II., Normanniae Ducem, et STEPHANUM foedus componitur, cui utrimque intercedunt episcopi, comites, barones, milites, ea conditione, ut mortuo Regi HENRICUS succedat. — Varie de hac transactione scriptores disputant (2). Magister VACARIUS Oxonii jus Romanum profitetur (3).

HENRICUS II. (A. 1155.)

Lord LYTTLETON, History of HENRY II.

Confirmavit et HENRICUS II. bonas leges et consuetudines, adjecta sanctione, « ut libere, quiete et plenarie tenerentur." SPELMAN apud

(1) Script. rer. Franc. XIII. 77. THIERRY, III. 54. LUDEN, Allg. Gesch. d. Voelker u. Staaten, II Th. 2 Abth. s. 136.

(2) THIERRY, III, 62, 63.

(3) SAVIGNY, Geschichte. d. Roem. Rechts im Mittelalter, IV. 350. WENCK, *Magister Vacarius*. — LERMINIER, Introd. à l'Hist. du droit,

DUCANGE, Gloss. v. *Magna Charta.* Erat autem Rex Dux simul Normanniae et Aquitaniae, Comes Pictaviae, (Poitou) et Andegavensis. Gallicam enim ditionem suam auxerat, ducta uxore ELEONORA, a LUDOVICO VII, Francorum Rege, ob adulterii suspicionem repudiata (1). Novae inde cum Francia relationes; vasallus ipso Rege potentior majorem occupat Franciae partem; bella hinc orienda. HENRICUS, tantis viribus fretus, exhaustae civitatis conversionibus Angliae medelam adhibet, Nobilibus elatioribus fraena imponit; Curias Baronum, *Missis Dominicis* institutis, et regione in sex tractus divisa, quibus singulis sui judices adscripti erant, reprimit, et (2) generaliter inferiorum judiciorum iniquitatem tollere, omnibns quod justum et aequum videatur, tribuere tentat; abrogat jus barbarum littoris et rerum naufragarum (3). Erant et Iustitiarii itinerantes

p. 238. — MACKELDEY, Lehrbuch. (DEN TEX en V. HALL, Bijdragen, 1826, No. 1.)

(1) HALLAM, l'Eur. I. 38. MICHAUD, Hist. des Crois. T. II. p. 173—177, 206 etc. REGENBOGEN, de Bello Sacro, p. 117.

(2) *Judices in itinere, itinerant judges* dicebantur. A. 22. HENR. II. BLACKST. III. 67. CUSTANCE, p. 376, 434. SCHMALZ, s. 152. LUDEN, l. l. s. 147.

(3) EICHHORN, Weltgesch. II. 319. BLACKSTONE, I. 297. » King HENRY II., by his Charter, de-

omnibus forestariis Regis praepositi (Proto-forestarii); caeterum forestalium legum rigorem mitigavit HENRICUS. (ROGER. HOVED. p. 624.) DUCANGE, v. *foresta. Scutagium* crebrius solvitur loco servitii militaris in Francia praestandi; inde stipendiis conducti milites; qui mos Nobilium ferociores ac bellicosos animos sensim emolliebat; equestres similiter ludi prohibiti sunt (toernooi-spelen) (1). Optimatum insuper minuitur potentia immunitatibus, a Rege multis oppidis datis, quae vero non semper integrae neque religiose servantur. Hinc, licet de die in diem *villanorum* numerus ruri augeatur, in urbibus contra libertas burgensium servitutem sequitur. GLANVIL, L. III, c. 5. (2). « Si quis nativus quiete *per unum*

clared, that if on the coasts of either England, Poitou, Oleron or Gascony any ship should be distressed, and either man or beast should escape or be found therein alive, the goods should remain to the owners, if they claimed them within three months, etc."

(1) HALLAM, l'Eur. I. 366. LUDEN, l. c. s. 173. HEEREN, Infl. des Crois. p. 215.

(2) *Villenagium* (villein tenants.) GLANVIL, (illius aetatis *Capitalis Justitia*, qui dicitur, s. Lord Chief Justice.) L. V. c. 5. » Non potest aliquis in villenagio positus libertatem suam propriis denariis suis quaerere, quia omnia catalla cujuslibet nativi intelliguntur esse in potestate domini sui." SCHMALZ, s. 25. HALLAM, l'Eur. I. 352, 361. MEER-

annum et unum diem in aliqua villa privilegiata manserit, ita quod in eorum communem gildam tamquam *civis* receptus fuerit, eo ipso a villenagio liberabitur." In oppida igitur confluunt servi; nisi inde a dominis abstrahantur, liberi fiunt; mercatura, nec non industria, crescunt eorum opes (1).

Nobilium superbia repressa, ipsum clerum, qui immanem in modum, STEPHANO et MATHILDA regnantibus, dominatus fuerat, Rex adgreditur; ac primum quidem jurisdictionem episcopalem, quae, tum sacerdotum fraudibus vel calliditate, tum vero etiam Saxonum sagacitate, qui, ut Optimatum saevitiam fugerent, clericos se simulabant aut re vera clero addicebant, multos facinorosos improbosque homines Justitiae Regiae eripuerat, aut Baronum curiis debitas mulctas tentaverat auferre. Aut nullis poenis istos reos afficiebant Episcopi, aut spiritualibus tantum, excommunicationibus, (2) aliis; omnes

MAN, Gesch. van Koning WILLEM, II. 41. ROBERTSON, Hist. of the Emper. CHARLES V., Note 9.

(1) THIERRY, III. 204. Veniunt et Mongoli Londinum et Northamptonum mercaturae faciendae gratia. ABEL RÉMUSAT, Mém. sur les rélat. polit. des Princes chrét. avec les Empereurs Mongols, 2ᵉ. Mém. p. 154. GUIZOT, Cours, I. 8ᵉ. Leçon.

(2) BENTHAM, Théorie des peines et des récompenses, L. V. Ch. 2. HALLAM, Hist. Const. d'Anglet. II. 29, III. 75.

paene caussarum cognitiones sibi arrogantes, quae a judice ordinario in Tribunalibus laicis judicari debuissent. Dicuntur per novem annos ultra centum homicidia commisisse clerici, aut quos clericos vocabant, impunitate scelesta gaudentes. (1) — Ortae de hacce jurisdictione episcopali dissensiones; — Rex HENRICUS, THOMAS BECKET, Archiepiscopus Cantuariensis, genere Saxo, acerrimus immunitatum cleri propugnator. (2) — Attamen in Concilio Clarendon. A. 1164. HENRICUS adversarium prosternit. Art. 2. ap. GERVAS. DOROB. (DUCANGE, Gloss. v. *Baronia.*) « Archiepiscopi, Episcopi, et universae personae Regni, qui de Rege tenent in capite, habent possessiones suas de Rege, sicut Baroniam, et inde respondent Justitiariis et ministris Regis, et sequuntur et faciunt omnes rectitudines et consuetudines Regias, et sicut caeteri debent interesse judiciis curiae Regis cum Baronibus, *quousque perveniatur in judicio ad diminutionem membrorum, vel mortem.*" (3) — Appellationes autem fie-

(1) Ab A. 1154—1163. RAPIN-THOYRAS, Hist. d'Angl. T. II. p. 187.

(2) THIERRY, III. 122, 134, 202, 205, 417.

(3) De hac clausula cf. HALLAM, Hist. Const. IV. 30. — Alia v. ap. eumdem, l'Europe III. 427. BLACKST. T. III. 47, 61. — EGB. Excerpt. 156. » Cavendum quoque est clericis, ut non sint judices in condemnatione hominis." PHILLIPS, § LXVI.

bant ab archidiacono ad dioeceseos episcopum, inde ad Archiepiscopum provincialem, hinc ad Regem; ulterius nequaquam progredi licebat, nisi ejus facultate impetrata a Rege. Haec Clarendoni de caussis ecclesiasticis statuta fuere. — Advocatiae civili imperio subjectae. *Writs of prohibition* adversus Curias Ecclesiasticas, quae de feudis laicis cognoscere ausae erant, emissa (1). BECKETUS a Rege superatus, qui majorem Episcoporum partem beneficiis aut timore sui sibi subjecerat, in Franciam confugit, ubi ab HENRICI inimico, LUDOVICO VII, benigne recipitur. Redit A. 1170 in Angliam odiosus iste Regi Archiepiscopus, a Pontifice Max. adjutus. — Mors BECKETI. HENRICUS ALEXANDRO III. se submittit, rebellantibus filiis, HENRICO JUNIORE, RICARDO et GAUFRIDO,

(1) HALLAM, l'Eur. l. c. 428, 489. Idem, Hist. Constit. II. 59. (Conff. illa cum *Appels, comme d'abus* in Gallia usitatis. VOLTAIRE, Essai sur les Moeurs, Ch. 75. Libertés de l'Église Gallic. Art. 79. HENRION DE PANSEY, de l'Aut. Jud. Ch. 28. DUPUY, Comment. sur le traité des libertez de l'Église Gallic. de Maistre PIERRE PITHOU, etc. Paris, 1652 et 1715. (Haec posterior Editio duos Tomos complectitur.) Pragmatica Sanct. CAROLI VII. HENR. DE PANSEY, Ch. 23. BARANTE, Hist. des Ducs de Bourg. XIII. 42—49, XV. 300, XVI. 20, XVII. 49. PIGAULT-LEBRUN, Hist. de Louis XI. passim.

ad desperationem redactus (1). Bella in Francia et Hibernia gesta. HENRICUS JUNIOR A. 1183 moritur. — RICARDUS A. 1188, ut PHILIPPI AUGUSTI auxilium nanciscatur, ac praesidium sibi conciliet, « devenit homo ligius regis Franciae de omnibus tenementis patris sui transmarinis." ROG. DE HOV. p. 549 (2). Decimae Saladinae in Francia et Anglia exactae (3). Quo certius eas perciperet, « Rex de singulis urbibus totius Angliae fecit eligi omnes ditiores, et fecit omnes sibi praesentari; quibus cepit — secundum aestimationem virorum fidelium, qui noverant. — Si quos autem invenisset rebelles, statim fecit eos incarcerari — donec ultimum quadrantem persolverent. Similiter fecit de Judaeis terrae suae, unde inaestimabilem sibi acquisivit pecuniam. — Burgenses et rustici, qui, sine licentia dominorum suorum, crucem acceperint, nihilominus decimas suas debent." ROGER. DE HOVED. p. 642.

HENRICUS jam diem supremum obit, postquam dudum gloriae suae supervixerat. — Ejus

(1) THIERRY, III. 304, 308 sq. Pièc. Justif. 431.
(2) THIERRY, III. 372, IV. 33.
(3) HALLAM, l'Eur. III. 414. THIERRY, III. 364, 368. PASQUIER, Recherches sur l'Hist. de France, L. VI, Ch. 25. MICHAUD, Hist. des Crois. II. 507.

regnum cum justitiae splendore restituto, Nobilibus et Episcopis domitis, (quibus posterioribus, proh! dolor, temporum felicitate mutata, cedere dein coactus est,) conspicuum fuerat, tum vero Hibernia Angliae adjecta, liberarum civitatum origine ac progressu, florente mercatura, prudentia in Saxonibus et Normannis sibi invicem conciliandis. ALUREDUS RIÈVALL. p. 402. « Habet nunc certe de genere Anglorum, (Saxonum) Anglia regem; habet episcopos et abbates, habet principes et comites, ex utriusque seminis, (Normannici atque Saxonici) conjunctione procreatos (1).

RICARDUS I.

A. 1189 RICARDUS in Terram Sanctam profecturus et pecuniae inopia laborans, bona sua domanialia vendit ex parte; burgenses multi Regii annuis pensionibus inter se colligendis, opibusque in usum communem collatis, burgorum liberi possessores fiunt. *Firmae burgi*, corpora, syndici. — RICARDUS suis dicebat: « Londonias quoque venderem, si emp-

(1) THIERRY, III. 84. Hoc vero non ita absolute accipiendum videtur.

torem idoneum invenissem." GUIL. NEUBRIG. p. 396 (1).

Absente RICARDO, rerum publicarum cura committitur GUILIELMO de LONG-CHAMPS, Magno Justitiario et Cancellario, Custodi Regni, (2) qui magnis Normannis simul et Anglis tributis impositis, omnium inimicitiam in se concitat. RICARDI frater, JANUS de MORTAIN, ambitiosus homo ac Regiae dignitati invidens, corona Nobilium et Episcoporum circumdatus, Cancellarium honoribus suis privare cupit; quod tamen, cum solus perficere non auderet, in facinoris consociationem burgenses Londini vocat, A. 1191. « Et omnes episcopi et comites et barones, et cives Londoniae cum illis, convenerunt in atrio ecclesiae Scti PAULI." (3) « Ostenderunt coram Populo litteras Domini Regis sigillatas (quae vero falsae erant et simulatae), et placuit — IOHANNI, fratri Regis, et omnibus Episcopis, comitibus et baronibus regni, et *civibus Londoniae*, ut Cancellarius ille de-

(1) MADOX, *firma burgi*, p. 270 etc. HALLAM, Hist. Const. IV. 173. THIERRY, IV. 32. BLACKST. Comment. L. I. cap. XVIII. DROZ, Économie polit. L. II, Ch. 4 et 5, p. 104—136; L. III. Ch. 6. Brux. 1829.

(2) Hi *Custodes*, longo etiam tempore post, in Anglia occurrunt. HALLAM, Hist. Const. II. 422.

(3) ROGER. DE HOVED. p. 701. THIERRY, IV. 51, 53.

poneretur, et deposuerunt eum (1). Concesserunt civibus Londoniarum habere *communam* suam — quamdiu Regi (RICARDO) placuerit"; juraverunt autem cives, ut post RICARDI mortem JOHANNEM in Regem reciperent. JOHANNIS fraudes. — RICARDI in Germania captivitas. Pecuniae ad eum redimendum collectae (2). Redit A. 1194 RICARDUS in Angliam; quae alienaverat castella, burgos, aliaque bona, cuncta recipit; amittuntur illae burgorum possessiones, « quas repetit sub nomine commodati — burgensès metuentes universa resignarunt." (3) Placidi quidem remanent burgenses; at, occasione novorum tributorum, quae ad bellum adversus PHILIPPUM AUGUSTUM in Francia suscipiendum, exigebantur, et quorum inaequalis inter Londinenses perceptio fiebat, GUILIELMUS barbatus, Saxo, in *hustingo*, (4) s. Majoris (Maire) et Aldermannorum conci-

(1) HALLAM, l'Eur. II. 172.

(2) De quarum quantitate differunt. THIERRY, IV. 78. MULLER, Allg. Gesch. XVI. B. K. 8. MICHAUD, l. c. II. 528. *Comment li rois Richars fu mis hors de prison par Blondiel le menestrel.* — Extraordinarium tributum, *carucagium*, pro singulis aratris. BROMPTON in RICHARDO I, DUCANGE, Gloss. v. *carucagium*.

(3) THIERRY, IV, 103, 104.

(4) De v. *thing* v. DEPPING, Expéd. Marit. I. 10, 56, II. 50.

lio, « factus est pauperum advocatus, volens, quod unusquisque tam dives, quam pauper secundum facultates suas daret, ad universa civitatis negotia." ROGER. DE HOVED. p. 765 (1). Cum, post graves molestias et convitia tolerata, nihil profecisset GUILIELMUS, mari trajecto, in Franciam ad RICARDUM venit, « orans ab eo pacem sibi et Populo." At frustra. Tum, novis saevitiis ex mandato Justitiarii Regis secutis," facta est Londiniis tamquam zelo pauperum contra insolentias potentum conjuratio valida; fuisse autem fertur conjuratorum civium numerus, adscriptis, ut postea claruit, penes ipsum (WILLELMUM, barbatum) nominibus, singulorum LII. millia. GUILIELM. NEUBRIG. p. 630. — Quae immensa hominum turba saepe conciones habebat; GUILIELMUS vero, calliditate et astutia Nobilium circumventus, tandem divitum Normannorum, aliorumque irae victima cecidit. Sancti instar mortuum eum plebs venerata est.

Dimidia circiter regionis pars a Clero possessa (2). Pondera aequalia et mensurae A. 1197 in Westmonasterii conventu statuta (3).

(1) THIERRY, IV. 127, 130—141.
(2) HALLAM, l'Eur. III. 305.
(3) IO. BROMPTON in RICARDO I. DUCANGE, Gloss. v. *batus*. BLACKST. I. 283. MULLER, Allg. Gesch. XVI. B. K. 25.

Interficitur A. 1199 in bello Francico RICARDUS I. (Cor Leonis.) Leges sub eo forestales. Utlagi. DUCANGE, Gloss. v. *foresta.* ROBIN-HOOD (1).

J A N U S. (*sine Terra.*)

Accedimus ad Regnum, in quo omnium jurium Anglorum fundamenta jacta sunt. Augentur urbium immunitates; imbecilli Regis vanitate, imprudentia, mala fide, scelere, Normannia primum amittitur, aliaeque provinciae Francicae, singulae deinceps a PHILIPPO AUGUSTO subactae, JOHANNI pereunt.

Cum ita vires JOHANNIS in Gallia deficerent, et ejus in Anglia fama apud suos magna labe adspergeretur, factum est, ut illi Barones aliique Optimates Andegavenses ac Pictavienses, qui in bello, adversus Regem Francorum gesto, ab ejus partibus steterant, a JOHANNE honorifice recepti et supra Normannos elevati, precario favore abuterentur, Populo miserum in modum vexando. Inde burgenses, Londinenses maxime, extraneorum odio magis etiam excitati, Nobilibus et Clero se adjungunt, Ande-

(1) THIERRY, IV. 86—103. Pièc. Just. 418—426. WALTER-SCOTT, IVANHOE, ROBINHOOD.

gavensium atque Pictaviensium similiter superbiam aegre ferentibus, et timentibus, ne fortasse aliquando in istorum hominum gratiam bonis beneficiisque suis cedere cogantur. Adde, quod Rex ab INNOCENTIO III deceptus, in hujus vassallagium falsum, contra PHILIPPI AUG. ambitionem et Optimatum contumaciam, refugium quaerere non veritus fuerat. Quamobrem irati burgenses, Sacerdotes, Nobiles, et vilem animum Regis, ejusque tyrannidem contemnentes, villanorum ope, Regem, bello indicto, adgrediuntur. — Charta conceditur; peregrini dimittuntur. (1) (Auctores Chartae Comes in primis Pembrocensis, Archiepiscopus LANGTON, et septem episcopi.)

Magna Charta *Libertatum* (2) Angliae.

Constabat autem Charta 67 articulis, quorum primarios memorabimus. In eo vero luculen-

(1) THIERRY, IV. 343—352. HALLAM, l'Eur. T. II. Ch. 3. RAPIN-THOYRAS, T. II. 335. CUSTANCE, p. 259. Essai historique sur la Puiss. Tempor. des Papes, p. 166. suiv. MICHAUD, Hist. des Crois. T. III. 390 et 561. » Simulavit in dolo pacem ad tempus facere, ut cum fortior surrexerit, in dissipata agmina acrius se vindicaret.” MATH. PARIS, 214.

(2) Ita in Actorum public. Collection. et Corporibus vocatur.

ter hicce certaminis finis differt ab illo, quo alibi bella civilia Medio Aevo composita sunt, ut non immunitatum tantum Clero et Optimatibus concedendarum ratio habita sit, sed et victoriae praemia contigerint burgensibus, vel ipsis villanis. In Francia et Germania praecipue exortae inter Regem, Nobiles ac Clerum contentiones, fere semper, in Regiae auctoritatis detrimentum, horum privata commoda promoverunt, neglexerunt communitatis civium jura. At in Anglia, ubi ad magnum potentiae fastigium Regium imperium elatum fuerat, ubi Optimates et Clerus adeo, seorsum a Populo, non ita suis facultatibus pollebant, ut soli cum Rege armis certare possent, necessarium fuit, in belli societatem sibi adsciscere magnum illum hominum numerum, in quo vera Rei publicae vis et pondus cernitur. Igitur, rebus ad felicem eventum perductis, neque Barones, neque Episcopi erga socios suos ingrati fuere, sed jura iis etiam communia constituerunt. Praeterea persuasum illis erat, se tali tantoque in posterum auxilio carentes, facillime ab audaciore Rege profligatum, immunitatibus, quin honoribus quoque, spoliatum-iri. Communis itaque necessitas omnes docuit in unum opes, vires, voluntatem conferre; effecit, ut cuncti unum Regem viderent, cujus consilia civitati perniciosa avertenda essent.

Hinc, post immunitates Clero et Nobilibus primo loco tributas, (1) occurrunt jura in totius Anglicae gentis favorem a Rege agnita.

I. « *Liber homo* non *amercietur* (2) pro parvo delicto, nisi secundum modum ipsius delicti; et pro magno delicto secundum magnitudinem delicti, *salvo contenemento suo;* et *mercator* eodem modo, *salva mercandisa sua;* et *villanus* eodem modo amercietur, *salvo wainagio suo.*" (*gagnage*). — Ita de *milite*, a creditoribus in judicium vocato, — « Venditis caeteris, equus tamen ei reservabitur (3)." Duo

(1) Art. 1 et 3.

(2) Id est, *mulctabitur.*

(3) Dialog. de Scaccario (THIERRY, IV. p. 351.) » Quodsi miles fuerit, quem juvat armorum decor, tota sui corporis armatura cum equis sibi necessariis, a venditoribus erit liberrima." — V. etiam MONTESQ. Espr. d. L., L. XXII, Ch. 2. MONTEIL, Hist. des Français des divers États, T. I. p. 195—197. » On a été plus loin, on a arrêté en certains pays le bras de la justice, on a défendu la saisie *des animaux et des instrumens de labourage.* Dans ces pays-on est fort heureux; les sergens ne peuvent vous prendre, ni vos *chevaux*, ni *vôtre charrue*, ni *vôtre bêche.*" (Miror cel. HEEREN, dicentem, Infl. des Crois. p. 286. » Il n'est question des paysans, ni dans *la grande charte*, ni dans les actes de priviléges nationaux, qui vinrent ensuite.") — Similiter fere jam legitur in Capit. Pipini Regis Italiae, filii CAROLI Mg., *de Itinerantibus.* » Ut non praesu-

sunt in hocce articulo spectanda; immodicas poenas primo lex prohibet, et delictorum gravitati adaequari eas debere, statuit; deinde vero, ne extraordinariis mulctis, aut quacumque alia inhumana ratione, omnibus possessionibus homines priventur, cavet. Quod tali aetate, qua rapacitati et avaritiae multum indulgebatur, magnum beneficium fuisse, non est, quod moneamus. Ergo, si quae fortunae calamitates miserum villanum affecerant, instrumenta, quibus denuo victum quaereret, ac rem familiarem qualemcumque suam restitueret, ipsi saltem non adimebantur, non deerant. Crudelibus domini vexationibus lege terminus ponebatur, quem non excederet; mercaturae, (1) agriculturae et industriae conditio non omnino erat desperata.

II. Magnae Ch. art. 29. « Nullus liber homo aliquo modo destruatur, nisi per legale judicium parium suorum, aut per legem ter-

mant ipsi, (Episcopi, Abbates, Comites) aut homines illorum, ulli suam *caussam* (chose) tollere, aut suum *laboratum* (labour.)" PASQUIER, Recherch. sur l'Hist. de France, L. VIII. c. 53.

(1) MONTESQ. l. c. L. XX. Ch. 13. » La Grande Charte des Anglais défend de saisir et de confisquer, en cas de guerre, les marchandises des Négocians étrangers, à moins que ce ne soit par représailles. Il est beau que la Nation Anglaise ait fait de cela un des articles de sa liberté."

rae." (2) Palmarias res et plane egregias hic animadvertimus, quae sunt: *aequalis juris distributio* inter Anglos cujuscunque generis aut ordinis, ita ut nemini parcat judex, vel faveat, rei quadam consideratione injusta ductus, nemini irrogetur privilegium, *quo quid injustius?* secundo, auctoritas *legum* sola memoratur et *legitimi* Tribunalis, non principis cujusdam lubidine aut iniquitate instituti, sed quale majores olim habuerant, auctoritas *judicii Parium*, *judicii juratorum.* Ibi cuncta palam et coram civibus, aequalibus, amicis, fieri debere sciunt; judicium adesse, quod de

(1) Blackst. B. I. Ch. 1. Hallam, Hist. Const. II. 79, 65, 152. sqq. Declaration of william henry, Prince of Orange, § VII. (10 Oct. 1688.) » That no man shall lose his Life or Goods, but bij the *Laws* of the Land." Benjamin-constant, Mél. de Littér. et de Polit. I. 29. Bentham, Princip. du Code Pén. 4e. Part. Ch. 21 § 12. Delolme, The Constit. of England, p. 197, 208. London, 1822, p. 16." Nullus liber homo capiatur, vel imprisonetur, vel dissesiatur de libero tenemento suo, vel libertatibus vel liberis consuetudinibus suis, aut utlagetur, aut *exuletur*, aut aliquo modo destruatur; nec super eum ibimus, nec super eum mittemus, nisi per legale judicium parium suorum, vel per legem terrae. Nulli vendemus, nulli negabimus, aut differemus justitiam vel rectum." M. Ch. c. 39 et 40. — Thémis, ou Bibl. du Jurisc. T. II. p. 461.

facti et corporis delicti veritate cognoscat; infamiam in se contracturos esse judices, si malo animo, perfide et illecebris externis decepti damnaverint, qui absolvendus fuisset. — Exigit Chartae articulus legitimam judicis legitimi condemnationem, quo poena *lege* (1) sancita, infligi queat. Unde quodvis arbitrium respuit, « Nullus *aliquo modo* destruatur;" et carceris poena, detentio, quam vocant, si sine rei publicae incommodo atque periculo vitetur, non decernenda est, nisi lege praescripta. Quod a primis libertatis Anglicae incrementis fuit observatum; saltem reos, cautione data, se in libertatem vindicare potuisse, optimi scriptores affirmant, obtinendo instrumento sic dicto, *habeas corpus ad subjiciendum.* (2)

(1) Longe quidem patet expressio: *lex terrae;* intelligendae leges et consuetudines antiquae.

(2) Blackst. Comment. III. 120 et 121. Hallam, Hist. Const. IV. 126, 78. » Dès les premiers temps de la constitution Anglaise, aucun homme libre ne pouvait être détenu, si ce n'est sur une accusation ou une condamnation criminelle, ou pour une dette civile. Dans le premier cas il était toujours en son pouvoir, de demander à la cour du banc du roi un writ *d'habeas corpus ad subjiciendum*, adressé à la personne qui le retenait en prison, et par lequel il lui était enjoint de représenter le corps du prisonnier, *avec l'ordre d'emprisonnement*, afin que la

Si quidquam meriti re vera in rerum antiquitate continetur, hic aut nullo alio in loco, spectatur; « non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus," (Seneca, Epist. XLIV), sed nobilitat totum Populum bonarum legum antiquitas, quibus jura sibi acquisita adversus aliorum cupiditatem, avaritiam, ambitionem, tuetur. Igitur obloquar necesse est Viro summo, Io. MUELLERO, ubi de immunitatibus Saec. XV. tribui cuidam Helveticae (Thurdalbewoners,) concessis agens, dicit et illud iis datum: « Keinen, der Buergschaft stellen mag, in den Thurm zu legen;" quod cum Anglorum libertate comparat, additis hisce verbis: « so gut als jenes Palladium der persoenlichen Freyheit eines Britten; im Thurthal aber *um mehr als Zweihundert Jahre frueher, als in England.*" (1) Quod veritati non respondere, liquet.

cour pût juger de sa valeur, et retenir la partie, l'admettre à caution, ou la mettre en liberté, selon la nature des charges. Ce *writ était de droit, et ne pouvait être refusé par la cour.*"

(1) Schweizer. Eidgenoss. III. B. 2. Abth. 7. Capit. — Institutum quoddam Russicum, Curia *slovestnoy-sood* appellata, a nonnullis communicare dicitur cum reis commoda, quibus Angli gloriari solent. BENTHAM, l. l. § 2. — Revue de Paris, T. X. p. 216. (Ed. de Brux. 2ᵉ. Edit.)

III. « Communia placita non sequantur Curiam Regis, sed teneantur in aliquo loco certo." (M. Ch. c. 11.) Constituta sunt Westmonasterii. Magnae enim praecedentibus temporibus justitiae impensae fuerant, illis, qui eam sibi fieri vellent, ubique judices quaerere coactis, quo voluntas Regis eos secum duceret. Hinc saepissime homines, non lauta re familiari gaudentes, multa damna multasque injurias tulerant, timentes ne graviora etiam passuri essent, facta ad *Aulam Regis* appellatione. Jam vero, Tribunali instituto, in quo Regis praesentia non amplius requirebatur, et cui sui judices adscripti erant, nihil fere, certe minus, in judicando Regiam lubidinem, aut Optimatum avidiam, valuisse, constat. Res per se ipsa intelligitur. — Et habuit Tribunalium aequitas in caussis cognoscendis atque decernendis, quam nec partium studium, neque caeterae animi perturbationes moverent, magnam vim in Anglia ad circumscribendum arbitrium cujuscunque ordinis, loci aut temporum quorumcunque. Fuit illa, Tribunalium aequitatem dico, praecipuum libertatis adjumentum, praesidium omnibus et forte et securum, augustissimum. Hinc praeclara verba, paucis post M. Chartam concessam, annis a

In illo vero Imperio major judicum pars corrumpitur auro.

BRACTONO, celeberrimo illius aetatis JCto, scripta: « Rex debet esse sub lege, quia lex facit Regem. — Nihil enim aliud potest Rex, nisi id solum, quod de jure potest" (1). Quae, quamquam absolutum imperium excludant, Regiae apud Anglos auctoritatis summam laudem continere mihi videntur, utpote legitimae, legibus obnoxiae, unde in civium invidiam incidere non possit, sed augeat contra in iis bonam Regis famam, Regii nominis, Regiae personae amorem (loyalty). Hoc demum est liberum esse, scire et ipsum Regem legibus servire, aut ad eas colendas justo modo posse cogi, non directe quidem, verum accusandis illis, qui specie dignitatis Regiae promovendae, illa abusi fuerint ad legum vigorem aut minuendum, aut plane exstingendum (2). Li-

(1) BRACTON, Lib. III. tr. 1, c. 9.

(2) JUNIUS, Letter 39. » A new system has not only been adopted in fact, but professed upon principle. Ministers are no longer the public servants of the State, but the private domestics of the Sovereign. One particular class of men are permitted to call themselves the King's friends; as if the body of the people were the King's enemies; or as if his Majesty looked for a resource or consolation, in the attachment of a few favourites, against the general contempt and detestation of his subjects, etc." Lord JOHN RUSSELL, Hist. of Engl. Govern. and Constit.

beros cunctos facit persuasio, neminem in Republica legibus esse solutum, nisi qui male agere non possit; (the king can do no wrong) et vero puniri, qui perversa consilia moliti fuerint, Regi se amicos simulantes.

Ex articulo porro Chartae 20 neque Regi, neque dominis feudatariis licebat, vasallis aut vavassoribus suis tributa imponere, nisi quae ad tria *auxilia* praestanda necessaria essent, jure feudali usitata. *Quartum* auxilium, quod postea solvi solebat, cum feudi possessionem dominus nancisceretur, abrogabatur. Quo efficaciores vero tales constitutiones essent, art. 14. jurabat Rex, se nulla alia, praeter ea quae dixi, onera impositurum quamlibet ob causam, s. pro *scu-*

London, 1823, p. 100. Hallam, Hist. Const. II, 111, 242, 352. Bentham, Princ. du C. Pénal, 4ᵉ. Part. Ch. 21 § 7. M. de Montvéran, de la Jurisprud. Angl. sur les crimes politiques, Vol. II. Delolme, The Constit. of England, B. II. Ch. 16. Aug. de Staël, sur la responsab. Ministér. Oeuvres de M. le Baron de Staël, 3 Voll. 8º., Paris, 1829. Montesquieu, Espr. d. Lois, L. XI. Ch. 6. Holtius, Lettre sur la responsab. Ministér. Thémis, 1830, Vol. III, 3ᵉ. Livrais. p. 427. — Fichte, Naturr. I. Th. s. 215. (Ephorat.) Georgii, Anti-Leviathan, Verhaeltn. der Moral zum aeusser. Recht u. z. Polit. Goetting. 1807, s. 223 folgg. Schmalz, Staatsverfass. Gr. Brit. s. 16, 129. Châteaubriand, de la Monarch. selon la Charte, p. 36, 98. Paris, 1816.

tagio, s. aliae impellerent rationes, priusquam *Communis Regni Concilii consensum* impetravisset; — haec immunitas sequenti articulo cum Londinensibus quoque communicabatur. (1) Similiter villarum, quae *privilegiatae* prae ceteris vocabantur, (Quinque portus, Cinque-Ports, Dover, Romney, Sandwich, Hithe et Hastings) delegati Communi Concilio interesse poterant, in quo sententiam de tributis indicendis rogarentur. Pollicebatur autem Rex, se, cum talia negotia instarent, ad Concilium illud potentissimum *singulos* Optimates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Comites et Magnos Regni Barones singulis epistolis, honoris ergo, convocaturum; (2) — *Generaliter*, nec singulari ea honorifica exceptione facta, omnes qui de Rege in capite tenerent, ope praesertim Vice-Comitum ac Baillivorum suorum, 40 ante Concilii conventum diebus, ejusque argumentis enumeratis. (3) Animadvertimus

(1) » Simili modo fiat de taillagiis de civitate London, et de aliis civitatibus." art. 32. Sir James MACKINTOSH, History of England. Paris, 1831, Vol. I. p. 258.

(2) Writs of Summons.

(3) Usitata in convocatione delegatorum formula haec est: » de communi consilio super negotiis quibusdam arduis et urgentibus, regem, statum, et defensionem regni Angliae et ecclesiae Anglicanae concernentibus."

distinctionem, Optimates inter et minores Barones factam, quae licet fortuita appellari possit, deinde majoris etiam separationis caussa fuit, et origo duorum Placitorum, in quae Parlamenta divisa sunt apud Anglos. — Nimirum, cum quinquaginta annis post, burgensium delegati primum a MONTFORTIO, Comite Licestriensi, (A. 1266.) ac continuo in posterum una cum reliquis, ad consulendum de rebus publicis vocarentur, paullatim inter *tenentes in capite a Rege et burgenses* exstitit unio quaedam, quam magnum fortunarum discrimen, inter majores et minores Nobiles, indeque ortus mutuus contemtus aut invidia, suadebat. Et hoc est, quod Communitatibus (The house of Commons,) vires summas dedit adversus nimium Regis et Parium fastum; his vero intelligentiam praesidii futuri, quod sibi a Regis audacia apud Populi delegatos et minores Nobiles invenirent.

Haec qui attente consideraverit, in M. Charta illorum jurium, quae temporum decursu persecuti et adepti sunt Angli, primaria reperiat, necesse est. Populum autem libertatis amantissimum, obscura admodum aetate, vera ejus principia non fugerunt, mercatura, industria, agricultura, quae cum maxime ad propositum civitatum, omnium felicitatem, ducunt. Quae sic omnibus prospiciebat Charta, documento sit ejus,

quod effecturi essent experientia edocti et constanter majorum virtutem, prudentiam, temperantiam imitati Angli. — Perpetuam paene hanc civitatis constitutionem fore pronunties, in qua cujuscunque ordinis merito ratio habeatur, nec detur locus injustis querelis civium, quantum pro humanae mentis infirmitate fieri queat.

NOTA. (Cf. supra pag. 23.)

Non est hic locus, Juris Publici Franciae de Regum electione quaestionem totam historice ac prolixius exponendi, cui negotio imparem me esse scio. Fert tamen animus dicere, quae sentiam. Vera sit vox LEONIS MAGNI: « Qui praefuturus est omnibus, ab omnibus eligatur," et, quamquam ex omni fere historia pateat, Populi tantum suffragiis aut consensu Reges exstitisse, negandum non est, hoc jus eligendorum Regum, si Populo continuo servetur, periculosum Rei Publicae fore, immo posse eam funditus evertere. Nec necessarium illud est, neque utile, ubi leges populares temperant arbitrium Regis, perniciosissimum vero, ubi legibus nulla vis inest. (1) Est vero ea quaestio, quae pro diversis partibus, quas singuli scriptores sequantur, diverso modo agitatur; in

(1) MULLER, Allg. Gesch. XIV. B. K. 21. » Wo Gesetze regieren, ist das Wahlrecht unnoethig, und wo jene nicht herrschen, eine gefahrvolle, oft verderbliche Form." — V. quoque ROUSSEAU, Considér. sur le Gouvernement de la Pologne, *de l'élection d'un Roi*.

quo certamine ac sententiarum discrimine, veritatis raro habetur ratio, sed contra homines aestu quodam rapiuntur, («L'horizon de l'esprit de parti manque toujours d'étendue.” BENJAMIN-CONSTANT, Mélanges de littér. et de polit. I. 19. Ed. Bruxell.) vel generalem rei ambitum et quaestionis explicationem ad ea restringunt, quae maxime sibi placuerint placeantve. Quapropter merito vituperandi sunt illi, qui recentiori aetate in Congressu legatorum Viennensi *legitimitatis*, quam dicunt, Regum vocabulo vago admodum, ac difficilis explicationis abutentes, in originem illius juris ac simul juris, quod naturâ ei adversatur, electionis, quo minus inquisitio fieret, illo praesertim aevi nostri culturae gradu, tot ac tantis per triginta fere annos ob libertatem rebus gestis, saltem ejus nomine, prohibere non potuerunt. « C'est un grand et profond mot que celui de *légitimité*, ait de PRADT, Du Congrès de Vienne, II. 74. (Paris, 1815), mais que de nuages autour de lui! Combien peut-il y avoir de sources de légitimité? Qui la confère? qui la fait perdre? où commence-t-elle? où finit-elle? — Pour régner, faut-il avoir toujours régné? Peut-on commencer de régner? N'a-t-on jamais commencé ou fini de régner? — Les trônes électifs manquent-ils aussi d'honneur? — Est-ce bien

d'ailleurs dans ce siècle scrutateur de toutes les idées et de tous les droits, que l'on peut jeter au milieu des hommes des questions, qui portent à un examen dangereux; et peut-on, avec quelque prudence, venir leur dire, après tout ce qui s'est passé, en ayant sous les yeux tant de monumens encore subsistans, qu'il est un rang dans l'univers, auquel quelques mortels privilégiés entre leurs semblables, ont le droit exclusif d'atteindre?" — Conferatur de Jure illo Electionis, quod, exstincta Borbonum Regia gente, ex sententia ipsorum Galliae Principum, antiquo vigente regimine, Populo Francico competivisset, Edictum celebratissimum LUDOVICI XV. M. Julii 1717, quod vere tamen PHILIPPO AURELIANENSI debetur. (1) Ex Historia hujus Nationis liquet, primis temporibus jus electionis non ita arctis finibus limitatum fuisse, (2) sed fraude Re-

(1) Comédies Historiq. par le Comte DE ROEDERER, p. 182—186. DUCLOS, Mém. Secrets sur la Minorité de LOUIS XV. VOLTAIRE, Siècle de LOUIS XV. LACRETELLE, Hist. de France, pendant le 18e. Siècle, Paris, 1808, T. I. 88—91, 109—123, 161, 168, 215, 225, T. II. 55.

(2) THIERRY, Lettres sur l'Hist. de France, 1 Vol. 8o. passim. MONTGAILLARD, Vol. I. GUIZOT, Cours d'Hist. Mod. I, 9e Leçon. Mém. sur la polit. de CLOVIS, par le Duc de NIVERNOIS, in Mém. de l'Ac. des Inscr. T. XX, p. 147.

gum ac Cleri, Populi incuria, et plurimas alias ob caussas, multa quae in illo essent Germanicae libertatis, vestigia immutata esse, aut penitus obolevisse. Multa, eaque ex incunabulis fere, atque origine Francorum depromta exempla collegi, quae ad illud jus probandum faciunt. Hic autem notasse sufficiat, quae in aetatem, de qua sermo est, Normannorum et in tertiae Francorum dynastiae adventum cadunt. Omnium primus ordine nominatur HUGO CAPETUS. « Franci inito communi consilio — Hugonem Ducem, filium Hugonis, Regem *eligunt.*" « Qui statim Robertum, filium suum, Aurelianis coronari fecit." « Saepe nominatus Rex Robertus, jam senior factus, Hugonem, filium suum, participem sui constituit Regni" (1) Haud abs re fuerit, hic attulisse sagacissimi scriptoris testimonium, STEPHANI PASQUIER, qui de Hugone Capeto haec habet. (2) « Lui,

THIERRY, Conq. de l'Anglet. par les Nrm. I, 185, 255: » Les Romains (Sacerdotes,) favorisaient par toute l'Europe les maximes de l'hérédité royale contre la pratique de l'élection." THIERRY, ibid. III. 239. — V. etiam doctam EVER. OTTONIS Dissertationem *de unctione Remensi*, in Dissert. Jur. Publ. et Privati p. 348. sqq..

(1) DUCHESNE, Scriptores, T. II, 635. III. 345 et 346.

(2) Recherches sur l'Hist. de France, L. II. Ch. X. (Ed. in fol.) Alia est edit. et antiquior in 8°. min. forma, A. 1581.

prince très-avisé, connaissant, que de remettre à la merci d'une élection la couronne nouvellement transférée en sa famille, c'était chose de périlleuse conséquence, rechercha tous les moyens qu'il pût pour en supprimer l'usage; et ne trouvant expédient plus prompt, que d'agréger avec soi ROBERT son fils, (1) il le fit sacrer et couronner Roi, dès son vivant. Coutume, qui fut depuis observée en quatre ou cinq générations successives de nos Rois." Quod cum neglexisset PHILIPPUS I, filius ejus, LUDOVICUS, qui Crassus vocatur, (Saec. XII ineunte,) vel Grossus, « se trouva aucunement empêché après la mort du Roi son père, d'autant que l'archévêque de Rheims et quelques Prélats et Barons voulurent s'opposer à sa réception." Alius igitur quidam Episcopus festinans Regem Aurelianis coronavit; LUDOVICUS deinde, majorum suorum, in adsciscendis sibi filiis in Regnum, morem renovavit, filiumque LUDOVICUM VII coronari fecit. « Ces sages résignations admises, dès le vivant des pères, firent oublier les élections, *qui étaient nées dedans les troubles de la France.*" Quod minus vere dictum puto. PHILIPPUS denique AUGUSTUS, oppressis potentioribus quibusdam Nobilibus, eorumque feudis Reg-

(1) Ejusmodi exempla Saec. XIV et XV v. apud Russos. SEGUR, Hist. de Russie, I. 152, 164.

no adjunctis, vi sua atque auctoritate fretus, consuetudini, quae prudentiae et temporibus debebatur, finem imposuit. Neque aliud quicquam juris electionis in posterum Franco-Gallis remansit, nisi quod tribuit illis MASSILLON. (1) « Le plus beau titre de cette Nation, est de ne pouvoir être gouvernée, que par le sang légitime *des premiers qu'elle a mis sur le trône.*" Quo Principum sanguine deficiente et exhausto, alterius Successionis Regiae electio a Populo, non ab ultimo praecedentis atque morte sublatae gentis Rege, facienda erat. Edictum laudatum LUDOVICI XV. « Mais si la Nation française éprouvait jamais ce malheur, (quod si gens Regia exstingueretur,) ce serait à la *Nation* même qu'il appartiendrait de le réparer, par la sagesse de *son choix;* et, puisque les lois fondamentales de notre Royaume nous mettent dans une heureuse impuissance, *d'aliéner le domaine de notre couronné*, (2) nous faisons gloire de recon-

(1) Mémoires sur la Minor. de LOUIS XV. p. 76, Ed. de SOULAVIE.

(2) Nisi scilicet Statuum Regni consensus accederet; qualis cessionis exempla inveniuntur apud Reginon. Chron. ad A. 924. Ita quoque CAROLUS Simplex Normanniam dederat Rolo A. 912. » Seniorum usus consilio, cum Magnatibus librato consilio." » Et li roiz à Saint-Clair tous ses barons manda." Roman *du Rou.* DEPPING, II. 104, 107. Et,

naître, qu'il nous est encore *moins* libre de disposer de notre couronne même; nous savons, qu'elle n'est à nous, que pour le bien et pour le salut de l'État, et que par conséquent, l'État seul aurait droit d'en disposer dans un triste évènement, etc."

cum Neustriae possessionem RICHARDO duci et Normannis confirmaret LUDOVICUS TRANSMARINUS (d'Outremer), jurarunt ipse, (Rex) et omnes epicopi, comites et abbates reverendi, principesque Franciae Regni; — Proceres Britonum et Optimates Normanni." DEPPING, II. 166. — Vidd. prae aliis, (VOLTAIRE, Hist. du Parlement, Ch. XVIII) de hac quaestione, verba quae A. 1419 fecit Maître JEAN RAPIOT, apud Juvénal des Ursins, Hist. de CHARLES VI., p. 367, 1653. fol.

THESES.

I.

Jure rogari posse videtur cum LYTTLETONO, (apud DELOLME, The Constitut. of England, p. 184, London, 1822), utrum, si Populi immunitates a Rege concessae dicantur, auctoritas, qua Rex ipse fruitur, non eodem modo a Populo tributa dici debeat?

II.

Non immerito quondam a muneribus publicis peregrini arcebantur.

III.

Preli libertatem magnum beneficium existimo.

THESES.

IV.

Egregie BENJAMIN-CONSTANT, Mél. de littér. et de Polit. p. 200. « Le despotisme condamne les hommes à déguiser leurs vertus, comme les gouvernemens vraiment libres les obligent à cacher leurs vices."

V.

Raro *facto*, numquam *jure* in Anglia tortura viguit.

VI.

Non probandam credo sententiam Cel. HEEREN, cum dicat: (Essai sur l'Influence des Crois. p. 251.) « Les croisades ne paraissent nullement avoir provoqué, ni favorisé en Angleterre l'établissement d'une bourgeoisie libre: cela se fit par des évènemens tout-à-fait étrangers aux guerres saintes."

VII.

Publicitas, quae dicitur, in regimine repraesentativo, omnium fere rerum necessaria est.

THESES.

VIII.

Non adeo amplissimi Ordinis sui insignibus eminent Pares Anglici, quam ingenii animique dotibus. Unde vere DE STAËL, Lettres sur l'Anglet. p. 90. « Ne nous persuadons pas, que les privilèges puissent, comme le satyre de la fable, souffler le froid et le chaud; faire des bêtes en Autriche ou en Espagne, et des hommes distingués en Angleterre." Hinc igitur, si aliquando tanto auxilio destituti sint, vereor ut eum, quem in Republica occupant locum, conservent.

IX.

In regno, quod libera regitur constitutione, « Lex facit Regem." BRACTON, Lib. III, T. 1. c. 9.

X.

Ut secundum art. 381. Cod. Poenarum furtum morte puniri queat, requiritur, ut arma, quibus usi fuerint fures, secum attulerint.

XI.

Mercaturae libertatem in omni industriae genere, uno eodemque temporis momento introductam, perniciosam fore, merito censet Pa-

triae sospitator, HOGENDORPIUS. (Lettres sur la prospér. publ. 2 Voll.)

XII.

Conjux conjugi bona donat, ea conditione, ut, si hic ad secundas nuptias convolaverit et filium genuerit, illi moriens relinquat quae sint superfutura. — Non adesse videtur substitutio, Art. 896. Cod. Civ. prohibita.

XIII.

Quae SAVIGNIO in novissimo suo opere MEYERUS objicit, (Lettres à M. COOPER, Amsterdam, 1830) multum veritatis habere puto.





